THEATRUM SPIRITUALE S. CAROLI CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI…

Bartolomeo Rossi

THEATRVM SPIRITVALE

S. CAROLI CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

Morum ſanctitatem, Animi dotes, & eius Mercedem copioſam, repreſentans.

Triplici ordine diſpoſitum.

HIEROGLYPHICIS SYMBOLIS ex Sacra Scriptura erutis, delineatum.

Adiectis ipſius B. CAROLI CORDIS *ANATOMIA ſpirituali,* & COSTAE *conſideratione, ab eius ſancto corpore extractis.*

AVCTORE R. D. BARTHOLOMÆO de Rubeis Doct. Theologo.

Cum duplici Indice; altero Symbolorum, altero vero rerum memorabilium.

DICATVM

SERENISS.MO IOANNI BEMBO VENETIARVM PRINCIPI.



VENETIIS, Apud Euangeliſtam Deuchinum. 1616.

De conſenſu Superiorum, & Priuilegijs.

Mirabilis DEVS in SANCTIS ſuis.
Pſal. LXVII.

PRæſens liber inſcriptus Theatrum Spirituale S. Caroli Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolan. morum ſanctitatem, animi dotes, & eius copioſam mercedem repreſentans, &c. Auctore R. D. Bartholomæo de Rubeis Doct. Theologo: &c. Fuit hic Venetijs reuiſus, & examinatus pro impreſs. atque vti vtilis, & bonus approbatus.

Ita eſt Fr. Io. Dom. Vign. Ord. Præd. Mag. Gen. Inq.

IOANNI BEMBO
SERENISSIMO
PRINCIPI VENETIARVM,
Victoriam, Felicitatem.

MVLTA quidem habent Principes boni cum Sole communia. Illud in primis. Sol puſillum floſculum æque conſpicit, fouet, & alit, ac proceram quercum, vel patulis diffuſam platanum ramis, Bonus itidem Princeps viros magnos amplectitur. Sed & humiles, iacentesq; in tenebris non contemnit. Tu tu, Sereniſſime Bembe, vnus ex his Principibus bonis es: immo inter bonos optimus. Neminem enim tuæ benignitatis expertem ſinis. Meritò igitur omnes te colunt, & diligunt, neque enim tantummodo, quantus, ſed & qualis ſis, cogitant. Quantus ſis, cogitantibus, occurrunt Faſces; Purpuræ; Palmæ; Trophæa; Triumphi; Sce-

ptra. Cogitantibus vero, qualis ſis, obuia ſe ſe offert Comitas; Manſuetudo; Suauitas; Beneficentia. Illis quos non tui in admirationem trahis? His quos ad te diligendum non allicis? In his tamen, qui te amant, ſuſpiciunt, admirantur, ita ego nomen profiteor meum, vt concedam nemini. Idq́; eò magis, quòd quanquam ab omni exiſtimatione, & auctoritate longiſſimè abſim, bono tamen quodam fato mihi contigit, vt vir ampliſſimus frater tuus, in Præfectura Veronenſi, me obſeruantiſſimum ſui cogno ſceret, & gratiæ ſuæ aura ſibi proſequendum putaret. En igitur, vt ſummum meum erga te cultum leui ſaltem aliqua ſignificatione apud omnes teſtatum relinquam, exiguum hoc tibi munus offero. exiguum, inquam, pium tamen nempe libellum, quo D. Caroli Borromæi vita paucis exponitur. Tu cum magnitudinis oblitus, humanitatis non oblitus tuæ, lætus, ac lubens accipe; & tui patere nominis claritate fulgere.

Celſitudini tuæ

Addictiſſimus

Bartholomæus Rubeus.

Ad eundem

SERENISS.MVM PRINCIPEM,

eiuſdem Auctoris.

De tribus ROSIS, *quæ in eius præclariſſimis* INSIGNIBVS *conſpiciuntur;*

Quarum fragrantia per vniuerſum terrarum orbem redolet

DE PRIMA ROSA.

ARGVMENTVM.

Virtutum, ac morum honeſtate conſpicuus Sereniſs. PRINCEPS, cunctis eſt deſiderabilis.

Symbolum.

ROSARVM aceruus.

Noema.

REDOLENT, SANANTq́;.

DE SECVNDA ROSA.

ARGVMENTVM.

A natura mitiſſimus clementiſſimus DVX, tamen, quia æquiſſimus, iuſtitiam, cum opus eſt, exercet.

Symbolum.

ROSARVM ramuſculus, cum ſuis ſpinis.

Noema.

CVM LENITATE, ASPERITAS.

DE TERTIA ROSA.

ARGVMENTVM.

Inuictiſſimi PRINCIPIS heroica facta, immortalitati erunt commendata.

Symbolum.

ROSA à ſuo proprio ceſpite ſeiuncta.

Noema.

ETIAM RECISA REDOLET.

PRÆFATIO
Pio Lectori.

GLORIOSA S. CAROLI *feſtiuitas, quam quinque ab hinc annis ſancta mater Eccleſia cunctis Chriſti fidelibus, vt congruo celebraretur honore, propoſuit; ſic paruo huiuſce temporis interuallo, tanta deuotione veneratur, quòd inter præcipuas, & illuſtres aliorum Sanctorum feſtiuitates, non immeritò, celebratiſſima hæc habeatur; maximè vero* MEDIOLANENSI POPULO, *cui cum ſingulariter diuino munere tantus* PASTOR *donatus fuerit, vt viuus, inclytam illam* CIVITATEM *illuminaret, & vita functus, ditiſſimam terram illam, auro, & argento ſacratiſsimi corporis ſui reliquijs, ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, multo excellentius ditaret, atque celebratiſsimam omnibus gentibus redderet; adeò quòd ſumma frequentia, & ſingulari deuotione, & lætitia ex omnibus Italiæ partibus, ad illud ſacrum corpus venerandum, conuenientes Populi, de eo illud Iſaiæ vaticinium, quod cap. 2. habetur, adimpleri certum eſt, dicentis;*
Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt Populi multi;

multi; *Qui diuitijs locupletati ſpiritualibus, ad propria, læto animo, remeant. In hoc ergo communi omnium Chriſtianorum applauſu commotus, & ego miſer peccator, pijs huiuſce glorioſi* ANTISTITIS *precibus, delictorum meorum veniam à* DEO *conſequi ſperans, hoſce ingenioli mei nouos fructus, ex deuotionis meæ arbore erga eius ſanctitatem prodeuntes, fidelium palato proponere ſtatui, vt ijs deguſtatis, magis, ac magis in dies eius deuotio augeatur. Alios inſuper eiuſdem ferè ſaporis, typis mediantibus, eſſluxiſſe, eoſq; non penitus inſipidos, mundus anno proximè elapſo adiudicauit, Aduentus videlicet, & Quadrageſimæ Conciones; Verum, cum deuotionis meæ arbor in cordis terra deſerta, & peccatorum tribulis referta, adhuc poſita ſit, vt facilius ipſius Sancti interceſsionibus mediantibus, ab ipſo pijſsimo Deo adiutus;* Qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat; *diuinæ gratiæ particeps fiam, elucubrationes has, qualeſcumq; ſint, vt illas pio mentis affectu perlegas, te exoro.*

IMMOR-

IMMORTALE ESTO,

ET ÆTERNVM
APVD MEDIOLANENSES
POTISSIMVM
S.^mi CAROLI BORROMÆI
CARDINALIS ARCHIEPISCOPI
QVI IAM PRIDEM IN COELIS REGNAT
NOMEN NVMEN
OB DIVINAS VIRTVTES
CONTINENTIÆ IVSTITIÆ CHARITATIS
PLAVDITE MEDIOLANENSES PLAVDITE
CORDIBVS LINGVIS MANIBVS
BARTHOLOMÆVS RVBEVS
DOMINO PROTECTORI ADVOCATO
BENIGNO BENEVOLO BENEFICO
DEVOTI CAVSSA ANIMI
VIGILIAS HASCE DICAT.

DE THEATRO SPIRITVALI

PRIMVS ORDO.

SPECVLVM PERLVCIDVM

In quo

SANCTI CAROLI CARD. ET ARCHIEP. MEDIOL.

Vitæ ſeries, Heroicis illuſtrata operibus, Sanctitatis odorem vndique redolentibus perſpicuè inſpicitur.

XXV.

HIEROGLYPHICIS SYMBOLIS

Ex Sacra Scriptura erutis deſcripta.

SYMBOLVM I.

De eius CONCEPTIONE.

ARGVMENTVM.

Fœtu in matris ſuæ vtero iam concepto; ob generis ſplendorem, tanquam pretioſum iocale ab omnibus habebatur;

Nec abortum vllo modo pati poterat, qui ad DEI Eccleſiam illuſtrandam ab æterno erat electus.

SYMBOLVM.

OSTREA in CONCHA maris clauſa, à SOLIS radijs iugiter irrorata; donec MARGARITA pretioſa efficiatur.

NOEMA.

LAPILLVS ADEST.

THEMA.

Non cadet LAPILLVS ſuper terram.
Amos. Cap. 9.

EXPO-

EXPOSITIO.

OSTREA, aqueus humor eſt in CONCHA naſcens, quia SOLIS radijs iugiter irroratus, demum MARGARITA pretioſa efficitur.

Oſtrea, quid ſit.

Pro humore hoc aqueo, quemlibet Chriſti fidelem intelligi poſſe, Iſai.c.33. innuit illis verbis, dicens; *Aquæ eius fideles ſunt*. SOL verò, qui humorem illum aqueum, ideſt, hominem fidelem gratiæ ſuæ radijs ferit, CHRISTVS eſt, de quo Eccleſia canit; SOL *iuſtitiæ* CHRISTVS DEVS *noſter*, Ipſe enim ſua præueniente gratia (quam prorſus abſque noſtris meritis elargitur) fidelem, quamuis in peccatorum tenebris, & in vmbra mortis, ſedeat (ne dicam iuſtum) illuminat, quare, ſi in prædeſtinatorũ numero aſcriptus eſt, illum inquam vſque ad extremam vitæ lineam, concomitatur, adeò quòd, diuinæ gratiæ radijs potiſſimum influentibus, nec non ipſius iuſti bonis operibus mediantibus, eius anima, pretioſus efficitur LAPILLVS.

Homo humor aqueus dicitur.

Chriſtus Sol dicitur. Prima gratia non poteſt mereri.

Prædeſtinatus gratia diuina concomitatur vſq. ad mortem.

Opera ad ſalutem requiruntur.

Quam appoſitè hæc, quę hactenus dicta ſunt CAROLO, nunc BEATO, conueniant, ex hoc apparet, quòd dum in MARGARITAE MEDICES PII IIII. Pont. Opt. Max ſororis, & GIBERTI BORROMAEI Comitis Illuſtriſsimi vxoris, eiuſque matris vtero commoraretur, ab æterno prædeſtinatus, non ſolùm ad MEDIOLANENSEM Metropolim illuſtrandam, ſed vt totius militantis Eccleſiæ CARDO firmiſsimus eſset, & immobilis, ob id illius anima, tanquam pretioſus LAPILLVS, à diuinæ gratiæ radijs illuſtrata, in materno vtero, veluti in CONCHA clauſa; *ſuper terram* per abortum, vt in THENATE dicitur, cadere haud poterat, quare Beati CAROLI matrem videntes prægnantem, dicere poterant, vt NOEMA habet; LAPILLVS ADEST; ſeù; MARGARITA, MARGARITAM, iam conceptam, citò pariet.

Caroli parentes.

Carolus a Deo prædeſtinatus.

Caroli anima veluti lapillus pretioſus

Abortum pati non poterat Carolus.

SYMBOLVM II.

De eius NATIVITATE.

ARGVMENTVM.

In ARONÆ Caſtro inſigni (quod ad Illuſtriſſimam BORROMÆORVM familiam pertinet) nocturno tempore, antequam ab eius matris vtero egrederetur;

RADIVS *fulgentiſſimus, ſupra thalamum in quo naſcebatur, apparuit, qui vſque ad* SOLIS *ortum nunquam receſſit, ipſius ſanctitatis lucem, inter tot peccatorum tenebras, præmonſtrans.*

SYMBOLVM.

STELLLA MATVTINA quæ a NEBVLAE tenebris egrediens, vbiq; lumen ſuum effundit.

NOEMA.

HINC SPLENDIDIOR.

THEMA.

Quaſi STELLA MATVTINA in medio NEBVLAE. *Eccl. Cap.* 59.

EXPOSITIO.

Stella quid ſit.

STELLA ſecundum Philoſophum, cœli pars denſior eſt, à ſtando dicta, quòd ſtare STELLAE videantur, in quibus non cadit corruptio, nec caſus, nec error; cuius eſſentia, magnam habet puritatem, in aſpectu, paruitatem; in motu, velocitatem, & inter corpora, magnam dignitatem, ac demum, abſque ſui corruptione, radium emittit: Hæc permultaque alia, de qualibet STELLA, dici poſſent. At de STELLA MATVTINA potiſſimum, ſic dicta, eò quod mane ſequens denunciat, & diem inchoat; duo dicemus, iuxta duas proprietates præcipuas ſibi conuenientes; calida enim eſt, & iucunda, & hoc quoad eius effectus intelligendum eſt.

Stella matutina cur ſic dicta.
Stella matutina duæ proprietates

Beatum CAROLVM, huic STELLAE perſimilem in eius NATIVITATE fuiſſe, poſt ſacram Baptiſmi aquam ſuſceptam, ex hoc apparet, nam NEBVLAE tempore, hoc eſt, cum peccatorum tenebræ in mundo, totque, ac tanti abuſus in DEI Eccleſia eſſent, quòd vix viuæ fidei lumen in paucis cognoſcebatur; ipſe, qui ad priſtinum nitorem Eccleſiam Mediolanenſem reſtituere debebat, veluti ac, ſi nouæ vitæ principium aduenìſſet, quando huiuſce lucis vſura frui cępit, ob id mirum non eſt, ſi antequam naſceretur, LVX magna effulſit, prout eius ſpiritualis regiminis tempore adueniente, experimento comprobatum eſt; quare, veluti STELLA MATVTINA, quæ prius ab ignorantiæ NEBVLA, obtecta erat in illa infantili ætate, factus poſtea adultus; CHRISTI præceptum adimpleuit, dicentis; *Luceat LVX veſtra coram hominibus*, & tunc SPLENDIDIOR apparuit, dum ætate creſcens, ibat de virtute in virtutem.

Carolus ſtella ſimilis.
In natiuitate Caroli miraculũ.

SYMBOLVM

III.

De eius INFANTIA.

ARGVMENTVM.

Cum cuiuſlibet hominis animæ, primis annis, ſit tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, rerumque omnium prorſus ignara;

Ipſe in illa infantili ætate, genij ingenijque ſui, ſignum non leue præmonſtrabat.

SYMBOLVM.

AVRORA, cui leuiſſimæ NVBES ex aduerſo ſtant, quæ ab eius ſplendore circumfuſæ illicò clareſcunt.

NOEMA.

DISPERSIS TENEBRIS NITESCVNT.

THEMA.

Orietur in tenebris LVX tua.
Iſai. Cap. 58.

EXPO-

EXPOSITIO.

AVRORA, ab aere nomen trahit, nam ipſa adueniente, aer ſplendeſcere incipit, tenebras expellit, & diei lucem adducit, quæ cum SOLIS lucem, ſecum deferat, ſi tunc temporis aliquæ NVBES leues ex aduerſo ſtant, illicò ab eius ſplendore circumfuſæ, illas reddit perlucidas.

Auroræ quid ſit.

Aurora nubes illuminat.

Tanquam AVRORAE fulgida LVX, B. CAROLI intellectus extitit, qui, & ipſe (prout & omnium hominum) in ignorantiæ tenebris inuolutus, quas illa fragilis ætas habet coniunctas, tamen cum ab æterno ad DEI Eccleſiam illuſtrandam eſſet prædeſtinatus; illius mens, ſuperiori lumine illuſtrata, genij, ingeniįque ſui ſignum non leue dabat; quare in illa infantili ætate, inter tot ignorantiæ tenebras, quæ in mundo tunc erant, ingenij lucem non perexiguam, quod à natura duxerat, præmonſtrans, de eo, cum ad legitimam perueniſſet ætatem, ad ſpirituale regimen conſtituto, vnuſquiſque dicere potuit, prout in THEMATE; videlicet; IN TENEBRIS (huius mundi intellige) eius LVX exorietur.

Caroli intellectus Auroræ ſimilis.

Caroli ingenium præſtans.

8

SYMBOLVM IIII.

De eius PVERITIA.

ARGVMENTVM.

Venuſtate, & morum grauitate inſignis, omnia puerilia abhorrens;

Comparandæ virtuti, totis viribus operam dabat, cæteroſque illius ætatis pueros, ſuo ædificabat exemplo.

SYMBOLVM.

CARBO, propè alios, penitus extinctos; & ipſe ſolus coruſcare incipit.

NOEMA.

CAETERI AB HOC.

THEMA.

CARBONES ſuccenſi ſunt ab EO.

Pſal. Cap. 17.

EXPOSITIO.

CARBO ex combuſto ligno efficitur, qui ſi accenſus, apud quamplures alios penitus extinctos, ponatur, eos paruo temporis interuallo, claros reddit, ac illuminatos. Vnumquemque fidelem, LIGNVM quodammodo vocari poſſe, Regius Pſaltes teſtatum reliquit, illis verbis Pſalmi 1. dicens; *Et erit tanquam* LIGNVM, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*; Verum ſi LIGNVM hoc myſticum (homo fidelis videlicet) peccati labe infectus ſit, CARBO, ſed extinctus, dicendus eſt, de quo Thren 4 dicitur; *Denigrata eſt ſuper* CARBONES *facies eorum* (De peccatoribus enim Ieremias tunc loquebatur) At ſi charitatis igne, LIGNVM hoc myſticum, homo videlicet, inflammatus ſit, tunc accenſus CARBO dicendus eſt.

Carbo quomodo efficiatur.

Homo fidelis lignum appellatur.

Peccator carbo dicitur.

Qualis CARBO, in illa puerili ætate, B. CAROLVS extiterit, ex eius operibus, luce meridiana clarioribus, manifeſtum apparet, qui omnia puerilia abhorrens, modeſtia, & morum grauitate ſic excellebat, quod omnes mirabantur; nam ad ea, quæ ad pietatis, & religionis cultum pertinebant, ſic erat intentus, quòd in conficiendis altaribus, PVERITIAE tempus fere totum conſumebat, quare eius Pater, diuino afflatus ſpiritu, (vt piè credendum eſt) CAROLVM eius filium, DEO dicare decreuit; Clericali igitur habitu indutus CAROLVS, eius condiſcipulos, cæteroſque ætatis ſuæ pueros, ſic ſuo ædificabat exemplo, quod CAETERI AB HOC, veluti CARBONES mortui, SVCCENSI SVNT.

Carolus tanquam carbo accenſus fuit.

Caroli deuotus affectus licet puer.

Pueros exemple ſuo ædificabat Carolus.

604

SYMBOLVM V.

De eius Adolescentia.

ARGVMENTVM.

Ad diuerſa litterarum ſtudia, animum appellere debens;

Ad ea, quæ grauiora, & ad Eccleſiaſticum regimen pertinebant, toto virium ſuarum conatu, ſe dedit.

SYMBOLVM.

Formica, quæ viribus ſuis, onus æquum ſuſcipit.

NOEMA.

Experiar, Et Feram.

THEMA.

Vnuſquiſque Onvs ſuum portabit.

Galat. Cap. 6.

EXPO-

EXPOSITIO.

FORMICAE, à micis ferendis vocitantur; Harum prudentia in hoc potiſsimùm conſiſtit, quòd in æſtate, cibos condunt, qui hyeme ſufficiunt, morſu, minora geſtant onera, maiora verò, auerſæ, poſtremis impellunt pedibus; ſemina condũt ſemiroſa, ne rurſus in fruges exeant; imbre madefacta, ad Solem proferunt, atque exiccant, & ea reponunt, ac demum (quòd ad rem facit) onera, quæ geſtant, illarum vires nunquam excedunt.

Formicæ vndè dictæ.

Formicæ prudentia.

Ijs omnibus prætermiſsis, quæ ad Beati CAROLI prudentiam ſpectant, qui prudentiam FORMICAE in ſummo habuiſſe certum eſt (de qua ſuo loco) animum ad diuerſa litterarum ſtudia appellere debens, cum TICINI in magnifico, ac ſplendido COLLEGIO, ab eo erecto, aliquot annos iuri Ciuili, & Canonico, in quibus multum profecit, operam dediſſet; ad ea, quæ ad ſui, aliorumquè ſpectabant regimen, totis viribus ſe dedit, DEVMque ſolum pro vnico cordis ſui obiecto, ante mentis oculos habens, tanquàm myſtica FORMICA, grauiorum ſtudiorum ſuſcepto onere, & præcipue ſacratum litterarum, antequam mentis ſuæ humeros ſtudio huic ſubijceret, quamuis acri valeret ingenio, ac ſummo excelleret iudicio; tamen, non niſi præuia oratione, ad hoc ſtudium animum dirigebat, adeò quòd ipſemet dicere ſolebat, vt NOEMA habet; EXPERIAR, ET FERAM.

Caroli prudentia circa ſtudium litterarum.

Carolus veluti formica fuit.

SYM-

SYMBOLVM

VI.

De eius IVVENTVTE.

ARGVMENTVM.

In fragili, ac periculoſa iuuentutis ætate, contemptis huiuſce mundi illecebris, de humani generis ſęuiſſimo hoſte victoriam ſemper retulit;

Quare, illo deuicto, quandiù vixit, vitam duxit ſemper quietam.

SYMBOLVM.

Annoſa QVERCVS, quæ a carie nunquam corroditur.

NOEMA.

PROCVL A TINEA.

THEMA.

Et FORTIS ipſe, quaſi QVERCVS.

Amos. Cap. 11.

EXPOSITIO.

QVERCVS, arbor eſt grauis, dura, & fortis, quæ in miram creſcit altitudinem, nec a carie vnquam corroditur, de qua (ijs omnibus prætermiſſis, quæ a naturalibus de ea referuntur) D. Gregorius in 1. Reg. cap. 10. ait. QVERCVS, arbor eſt fortis, quia conuerſatio Sanctorum, tanto validiùs terrena deſpicit, quanto purius in amorem cœleſtium ſurgit: Fortis eſt etiam (ſic ſubdit) quia ſeculi aduerſa potenter tolerant, qui ſola cœleſtia, quæ vident, amant.

Quercus qualitates

Quercus cõuerſationem Sãctorum innuit.

Duo de QVERCV, moralis Doctor innuit, quæ B. CAROLO mirum in modum conueniunt, Ipſe enim, terrenis ſpretis (& eſt prima conditio) ſola cęleſtia æſtimauit, de quibus ſuo loco, quòd ſi de illius animi conſtantia, & in aduerſis ſuſtinendis fortitudine loquamur; prætérquam quòd acerbam, & immaturam FEDERICI fratris mortem æquo, & conſtanti animo tulit; in illa periculoſa ætate qua humani generis hoſtis, omnes ferè, ſuis ſuggeſtionibus ſuperat; CAROLVS animi fortitudine præſtans, adeò viriliter cum illo decertauit, quod de eo victoriam ferè ſemper retulit, qui in nullam, vel minimã incontinentiæ ſuſpicionem incidit. Admiratione profecto dignum, quòd in igne iugiter commorabatur, nec aliquis capitis ſui capillus comburebatur; quare licet cum effrenata iuuentute (cauſa ſtudiorum) conuerſaretur CAROLVS, tamen non ſolum aliqua peccati macula illius animum labefactauit, quin potius, morum ſanctitate, & virtutum exemplo, ędificabat omnes, quare FORTIS, vt QVERCVS PROCVL A PECCATI TINEA extitit ſemper.

Carolus, Quercus cũditiones habuit.

Quercus fortitudinẽ habuit Carolus.

Caroli continentia.

SYMBOLVM VII.

De dignitate CARDINALITIA.

ARGVMENTVM.

DEO ex corde, dùm ſeruiebat; meritò in S. CARDINALIVM Collegium ab Auunculo ſuo cooptatus eſt,

Qui Pontificatus onera ſuſtinens, Eccleſiam militantem admodum illuſtrauit.

SYMBOLVM.

CARDO, circa quem FORES vertuntur.

NOEMA.

TVTA CIRCVMVOLVITVR.

THEMA.

Domini enim ſunt CARDINES terræ *1. Reg. Cap. 2.*

EXPOSITIO.

CARDO, ferramenti genus quoddam eſt, circa quod FORES vertuntur; hoc inquam nomine Poli nuncupantur, & ſunt cœli partes im nobiles, ſibi mutuo oppoſitæ ſuſtinentes, quarum altera ad ſeptentrionem eſt, altera vero ad Auſtrum.

Cardo quid ſit.

Quouis modo hoc nomen accipiatur, appoſitè Beato CAROLO dignitate CARDINALITIA decorato, conuenire certum eſt, qui, cum vigeſimum annum ageret, quo quidem tempore eius Auunculus ad ſummi Pontificatus faſtigium euectus eſt, cum primum Romam, ſemel atque iterum vocatus, tandem profectus, illicò in ſacrum CARDINALIVM Collegium cooptatus, maxima ipſius Pontificatus pertractans negotia, ea tanto ſtudio, non ſolum quæ ad eccleſiaſticum, verum etiam ad ſeculare regimen ſpectabant, vir ſapiens curabat, quòd indefeſſus, diù noctùq; tanquam CARDO, circa quem ipſius militantis Eccleſiæ FORES vertuntur, mirabiliter ſuſtentauit, Quemadmodum etiam, tanquam ipſius cœli Polus, id eſt, Eccleſiæ DEI (quæ ſæpè, ac ſæpius in Sacra Scriptura cœlum nuncupatur) partes, ceù columna firmiſſima ſuſtinuit, adeo quòd, dùm ipſe Eccleſiam gubernabat; TVIA CIRCVMVOLVEBATVR.

Cardinis nomen Carolo conuenit.

Carolus Eccleſiæ Cardo.

SYMBOLVM VIII.

De eius ſolerti VIGILANTIA, dum Pontificatus negotia ſumma tractabat.

ARGVMENTVM.

Pro S. Romanę Eccleſię conſeruatione, & amplificatione ſemper indefeſſus;

Vt S. Concilium Tridentinum, iam diù cæptum, abſolueretur; in hoc potiſſimum, omnem adhibuit diligentiam.

SYMBOLVM.

ARANEVS in medio ſuæ telæ reſidens, vt omni fracturæ, quæ fieri poſſet; illicò reparare queat.

NOEMA.

NVNQVAM OTIATVR.

THEMA.

Anni noſtri ſicut ARANEA meditabuntur. *Pſal. Cap. 79.*

EXPO-

EXPOSITIO.

ARANEVS, paruum animal eſt, & tanta ſolertia ARANEAM, ſeù telam, quam ipſemet proprio ore, filis, ex proprijs viſceribus deductis, contexuit, quòd in illius medio reſidens, omnem motum in ea factura ſentit, quare; ſi in aliqua parte frangatur, nulla interpoſita mora, eam denuò orditur, & reficit.

Aranei ſolertia.

Quantam curam, & animi ſolicitudinem adhibuerit B. CAROLVS, dum Pontificatus negotia præcipua tractabat, vt tot abuſus, iam in DEI Eccleſia introducti, radicitus tollerentur perſpicuum eſt, vt ſalutaribus decretis illuſtrata, ad priſtinum candorem reſtitueretur, præterquam quod egregia fide, & ſingulari diligentia ſanctæ Sedis negotia omnia ad DEI honorem, & ad ipſius Eccleſiæ vtilitatem, ſuccederent, in hoc potiſsimum apparet, quòd S. CONCILIVM TRIDENTINVM, per PAVLVM III. iam diù ceptum, ac per illius ſucceſsores proſequutum, nec vnquam abſolutum, ſolerti vigilantia, & diuturno huiuſce myſtici ARANEI ſtudio, qui ſic operatus eſt, quòd ipſius DEI auxilio, demum illud ad glorioſum finem perduxit; quo ſanè tempore, toto virium ſuarum niſu adhibito, totum id, quòd in eo ſancitum erat, vt adimpleretur, curauit ſemper; immo, quandiù vixit, vt eccleſiaſtica diſciplina ad DEI laudem, & animarum ſalutem augeretur, NVNQVAM OTIATVS EST.

Caroli ſolicitudo circa diuinum cultum.

Carolus myſticus Araneus.

SYMBOLVM IX.

De ARCHIEPISCOPALI onere ſibi impoſito.

ARGVMENTVM.

MEDIOLANENSIS Eccleſiæ ARCHIEPISCOPVS, ab Auunculo ſummo Pontifice conſecratus, magnis precibus ab eo impetrauit,

Vt ad ſpiritualem ſuam SPONSAM *accedere poſſet, quòd obtinuit.*

SYMBOLVM.

LVNA NOVA quæ cunctis eſt amabilis.

NOEMA.

REDIT CLARIOR.

THEMA

LVNA tua non minuetur.
Iſa. Cap. 60.

EXPO.

EXPOSITIO.

LVNA à lucendo dicitur, quòd noctu ſola luceat, quæ & ipſa ſicuti, & cuncta ſydera, a SOLE lumen ſuum recipiens, modo creſcit, modo decreſcit, quare cum tota defierit, noua efficitur, & apparens, oculis omnium pergrata eſt.

Luna à lucendo dict.

Quanta peccatorum obſcuritas, ampliſsimam MEDIOLANI ciuitatem, eiuſque Prouintiam, veri DEI cultum tunc temporis obumbrarce, antequam NOVA LVNA hæc myſtica, ad ſpirtuale regimen veniret (proh dolor) ſilentio pertranſire melius eſt, quam illius temporis calamitatem referre: At B. CAROLO aduenente (qui tanquam LVNA NOVA à CHRISTO SOLE ſanctitatis lumen mutuaſſe, non eſt cur dubitemus) mirum non eſt ſi honoribus, & dignitatibus quampluriınis decoratus ad patriam rediens, clarior, ac ſplendidior, oculis omnium apparuit, quare, MEDIOLANENSIS Eccleſiæ adminiſtratione ſuſcepta, præclariſsimarum virtutum lumen, quæ in eius animo, veluti micantia ſydera fulgebant, diminutum nunquam, ſed valdè auctum apparuiſſe, pro comperto habetur, quare; CARDINALI, & MEDIOLANI ARCHIEPISCOPO redeunte, vnuſquiſq; dicere potuit; REDIT CLARIOR.

Carolus tanquam luna fulgens.

Carolus ad patriam redit dignitatibus decoratus.

SYMBOLVM X.

De eius VIRILITATE.

ARGVMENTVM.

Gregem à DEO ſibi commiſſum, prudentia, ac pietate ſumma viſitat,

Eiuſque maximam curam ſuſcipit.

SYMBOLVM.

AQVILA, quæ emiſſo fœtu, ACHATEM quærit, & in NIDO collocat.

NOEMA.

PROVIDA, SIC PROVIDET.

THEMA.

In arduis ponet NIDVM ſuum.

Iob. Cap. 39.

EXPO-

EXPOSITIO.

AQVILAM, omnium auium Reginam, ac ob id, Regia corona coronatam, naturales tradidere; cuius ſolertia erga pullorum ſuorum educationem, tanta eſt, quòd in præruptis ſilicibus NIDVM ſuum collocat, & hoc, vt filiorum vitam reddat incolumem, quo ſanè tempore, ne à Pernæ ſerpentis veneno eius partus interimatur, ACHATEM lapidem precioſum quęrit, quo reperto, illum in NIDO collocat, cuius virtute eius filij, ſeruantur illæſi.

Aquila auium Regina.

Aquila prudentia

Pernas ſerpens Aquilæ inimicus.

Auunculo adhuc viuente, qui CHRISTI vices in terris gerebat, Beatus CAROLVS, tanquam AQVILA myſtica, magnis precibus ab eo impetrauit, vt ſibi MEDIOLANVM ad Prouinciale Concilium celebrandum accedere liceret, quod & obtinuit; quare in illa Metropolitana, tanquam in proprio NIDO, prædicationis ſuæ lacte, filios ſpiritualiter enutrire cępit, eoſque, vt a ſerpentis infernalis virore, hoc eſt a lethali culpa defenderet, CHRISTVM, qui lapis angularis vocatus eſt, pijs exortationibus, & aſsiduis concionibus in eorum cordibus, linguæ ſuæ ſcalpro incidebat, dicens; *Attendite ad* PETRAM, *unde exciſi eſtis.* Iſa 51. quare PROVIDOS, ſic filijs ſuis ſpirituali alimonia enutritis, PROVIDIT.

Carolus myſtica Aquila.

Carolus tanquam Aquila, filiorum curã habet.

SYMBOLVM

XI.

De eius CONSCIENTIAE quiete.

ARGVMENTVM.

Ab omni peccati labe, animum prorſus purum habens;

Senſum rationi, hancque DEO ſubiectam habuit ſemper.

SYMBOLVM.
APOLLINIS CITHARA.
NOEMA.
NVNQVAM DISSONA.
THEMA.
Confitebor tibi in CITHARA DEVS DEVS meus.
Pſal. Cap. 42.

EXPO-

EXPOSITIO.

CITHARA, muſicum eſt inſtrumentum, quæ alio nomine LYRA appellatur, hancque ab Apolline fuiſſe adinuentam, Macro teſtatum reliquit, quam viginti quatuor chordas habuiſſe, eaſque ſemper conſonas, Poetæ fabulati ſunt, de qua Hierony. ſcribit, quod in modum LYRAE facta erat, quæ armoniæ celeſtis imaginem monſtrabat.

Cithara à quo inuenta.

Beati CAROLI CONSCIENTIAM, CITHARAE huic perſimilem eſſe, credendum eſt. Hæc, inquam, diuino timore inſignita, non ſolum DEI præcepta, ſed & Euangelica conſilia adamuſſim, vt obſeruarētur ſtuduit, quapropter, Reditus Eccleſiaſticos, vltrò ab Auunculo ſibi oblatos, recuſauit, magnas opes habuit ſuſpectas, immo in tanta rerum copia, adulātibus quamplurimis, cum maximè tranſgredi poſſet, non eſt tranſgreſſus, quippe qui ampliſſimos reditus, in Pontificis manu, reſignauit, aliaſque ingentes opes, pijs, & eruditis hominibus, Pontificis authoritate petita, ceſſit; Quampluraque egregia opera præſtitit, adeò quòd ſæuiſſimo generis hoſte in tentationibus deuicto, primiſq; motibus (qui in hominis poteſtate non ſunt) omnino ſedatis; ſenſum rationi, hancq; Deo ſubiectam habuiſſe certum eſt, qui rè veluti APOLLINIS CITHARA, quæ NVNQVAM fuit DISSONA cęleſtis armoniæ formam in corde gerens, quandiu vixit, debitas DEO perſoluere LAVDES non ceſſauit.

Caroli conſcientia citharæ ſimilis.

Carolus reditus recuſat.

Caroli conſcientia ſem per quieta.

SYMBOLVM XII.

De Mediolanensis Eccleſiæ reformatione.

ARGVMENTVM.

Paſtorali officio ſuſcepto; tertio quoque anno Prouinciale Concilium, Diœceſanasq; Synodos ſingulis annis celebrauit;

Quibus Mediolanensem Eccleſiam ſanctiſſimis inſtitutis, ornauit, & auxit.

SYMBOLVM.

Clavus navis, quo mediante in Portum reducitur.

NOEMA.

Te Stante, Tvta.

THEMA.

Et deduxit eos in Portvm voluntatis eorum. *Pſal. Cap. 106.*

EXPOSITIO.

Temo nauis, & eius officium.

CLAVVS, Nauis gubernaculum eſt, ſiue TEMO, qui eam dirigit, illamq́; rectam tenet, quo mediante Nauis ab ipſis nautis dirigitur, & pro libito in PORTVM deducitur. Eccleſiam militantem NAVIVM eſſe, paſſim ex Sacra Scriptura colligitur, prout homines fideles, in hoc mundo commorantes, tanquam ſi in ipſo Mare eſſent, Regius Pſaltes innuit illis verbis, *Hoc mare magnum, & ſpatioſum, &c.* & ſicuti nullus in mari abſque naui, ſaluari poteſt; ſic impoſſibile eſt, quod homo ſalutem conſequi valeat, niſi per rectæ fidei ſuſceptionem, in Eccleſiæ naui ingreſſus ſit, extra quam, nemo ſaluari poteſt, & in hac, CHRISTVS fuit nauclerus, quem poſtea eius diſcipuli ſunt ſequuti, poſt cuius diſceſſum per aſſumptionem; motus magnus factus eſt in hoc Eccleſiæ mari, ob perſecutiones, quas paſſa eſt, ita quod penè mergeretur.

Eccleſia nauis.
Mundus eſt mare.
Chriſtus nauclerus.

Hoc idem de MEDIOLANENSI Eccleſiæ NAVI, antequam B. CAROLVS, verus CHRISTI diſcipulus ad eam gubernandam accederet, dici poteſt; etenim tot, tantiq́; in ea irrepſerant abuſus, quòd penè mergeretur; ad quos euellendos. Potentium minas non extimuit, quin potius, pro dignitate Eccleſiaſtica tuenda, illos anathematis vinculo puniuit, quare ipſo gubernante, tranquillitas magna facta eſt, ita quòd fidelibus in hac Naui commorantibus, in qua ipſe director extitit, dici poterat, vt in THEMATE, *Et deduxit eos in* PORTVM *voluntatis eorum,* qui per huiuſce Naucleri vigilantiam, feliciter ad Portum Paradiſi deducebantur.

Carolus Eccleſia Mediolanenſis, nauim gubernat.

SYM-

620

SYMBOLVM XIII.

De VISITATIONIBVS forenſibus.

ARGVMENTVM.

Vigilantia, ac pietate inſignis pro GREGE ſibi commiſſo,

Quamplurima ſuſtinet incommoda, prouidus PASTOR; *& quæ ei neceſſaria ſunt, largè prouidet.*

SYMBOLVM.

AQVILA in NIDO cubans, oculis terram verſus, defixis.

NOEMA.

PROCVL, SED PROPE.

THEMA.

Indè contemplatur eſcam, & OCVLI eius de longè proſpiciunt.
Iob. Cap. 39.

EXPO-

AQVILA, ſuſcepta prole, eam ſummo proſequitur amore, quare, ea omnia, quæ ad filiorum ſuorum educationem ſpectant, ne aliquid eis deficiat, quod ad illorum vitam conſeruandam neceſſarium eſt, ſummo curat ſtudio, quapropter; ſuos eos in NIDO fouet, de ſufficienti eſca valde ſolicita eſt, ac ob id, eius OCVLI iugiter de longè proſpiciunt. *Aquilæ amor erga ſuos filios.*

MEDIOLANENSEM Eccleſiam Beati CAROLI ſponſam dilectiſſimam fuiſſe, liquidò conſtat, quare, vt ei coniungeretur (ARCHIEPISCOPVS iam creatus) eius Auunculo ſenio confecto, nec non ſummis honoribus, quibus in Romana Curia valdè affluebat, relictis, ad eam perrexit, vnde multos ſpirituales filios genuit, quare MEDIOLANI Ciuitate (quæ tunc temporis veluti altera Babylon erat) ad DEI cultum, redacta; reformatisq; moribus, ad ampliſſimam Diœceſim curandam, peccatorum lethali morbo laborantem, acceſsit; ſæpe ac ſæpius eam viſitauit, nec ob eius abſentiam, vt filijs in ciuitate, & extra, alibi degentibus, à ſpirituali eſca ſuppeditanda, illius OCVLI vnquam defecerunt, quare; licet corporali præſentia ab illis PROCVL eſſet, animo tamen, & pio cordis affectu, PROPE eis erat ſemper. *Eccleſia Mediolanẽ Caroli ſponſa.* *Carolus filios ſpirituales diligit.* *Caroli amor erga Mediolanenſes.*

SYMBOLVM XIIII.

De eius ABSTINENTIA.

ARGVMENTVM.

Ad cœleſtia iugiter anhelans, totusq́; ſpiritui deditus;

Vix ea, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſario requirebantur deguſtabat.

SYMBOLVM.

PILA, ſuper TABVLA plana poſita, quam tangit in puncto.

NOEMA.

MODO CONSISTAT.

THEMA.

Ecce ego mittam te, ſicut PILAM, in terram latam, & ſpatioſam.
Iſa. Cap. 22.

EXPOSITIO.

PILA, inſtrumentum luſorium eſt, rotondum, ad ſphęræ ſimilitudinem, quę a pilis, quibus impletur, ſic nuncupatur, & omni ex parte æqua eſt; Hæc inquam; ſi ſuper tabula plana ponatur, eam in puncto tangit. Cuiuslibet fidelis corpus, veluti PILA eſt, nam, & ipſum, ex vili, & abiecta materia compactum eſt, de quo Deus per Iſaiam dixit; Ecce ego mittam te, ſicut PILAM, in terram latam, & ſpatioſam. *Pila quid ſit.*

Quonammodo B. CAROLVS corporis ſui tyrannidem ieiunijs, & varijs caſtigationibus comprimeret, ex hoc apparet, quòd interdum pijs deditus exercitationibus, Concilia Prouintialia, aut Synodos celebrans, ſeu Diœceſis Eccleſias viſitans, ac ſi incorporeus fuiſſet, quadraginta etiam horas, ſine cibo, & potu, magna tractabat negotia, nec alicui interea corporis neceſſitati vacabat; immo tali abſtinentia corpus ſuum domauit, quòd ficis aridis per multos dies, poſtea lupinis ſolis pro cibo, & aqua, pro potu, carnem ſuam domauit, adeò quòd; MODO CONSISTERET corpus illius ad ſeruiendum DEO, & vt GREGI ſibi commiſſo, opem ferret, ipſe manducabat, & bibebat, quouſque veluti PILA, eius corpus in ſepulchro proiectum eſt, vbi requieſcet, donec ab eo; *Cuius delitiæ ſunt cum filys hominum; ludens in orbe terrarum;* IN TERRAM LATAM, ET SPATIOSAM mittetur, de qua Iob dicebat; *Portio mea in terra viuentium.* *Caroli abſtinentia.* *Carolus proprium corpus domat, vt Deo ſeruiat.*

SYM-

SYMBOLVM

XV.

De eius erga pauperes PIETATI.

ARGVMENTVM.

Ampliſſimis reditibus ſpontè reſignatis;

Ea ſolum, quæ ad domeſticum ſplendorem, pro dignitatis decore neceſſario requirebantur, retinuit,

Pauperesq́; ab eorum inopia ſubleuabat.

SYMBOLVM.

VITIS omni ex parte amputata.

NOEMA.

EXPOLIATA DITIOR.

THEMA.

Ego quaſi VITIS fructificaui.

Eccleſ. Cap. 24.

EXPO-

EXPOSITIO.

VITIS, à vino ferendo dicta eſt, ſeù, quod ad ſpem percipiendarum vuarum inuitet (vt Varoni placet) & Seneca de VITE ait; Cuius quidem, non vtilitas ſolum, ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat; quæ ſanè arbor, quanto magis amputatur, vberiorem vtique reddit fructum. *Vitis vnde dicta.*

CHRISTI, qui vera VITIS eſt, (nam hoc nomine ſeipſum vocauit Ioan. 15. dicens; *Ego ſum* VITIS *vera, &c.*) Beatus CAROLVS palmes erat, prout, & vnuſquiſq; fidelis nuncupari poteſt, at ARCHIEPISCOPALI munere inſignitus, Eccleſiæq; MEDIOLANENSIS ANTISTES ſummus, VITIS nomine gaudere potuit, & tùnc VITIS omni ex parte amputata, & reciſa B. CAROLVS extitit, qui nulli hominum generi, nulli ſexui, nulli humanæ miſeriæ vir glorioſus, MEDIOLANI non conſultum eſſe voluit, nam præter Collegium PAPIAE erectum, vt in eo è Mediolanenſibus, & Papienſibus ciuibus, in optimis diſciplinis educarentur, quòd magnificis, ac proprijs ſumptibus ædificandum curauit, principatum Auriæ ipſe vendidit, pecunia in Christi pauperes ædificandum curauit ſeminarium clericorum, nec non erogata; aliud ad Heluetiorum vſum inſtituit. Nobilibus item pueris, qui parentibus orbati erant, alium locum conſtruxit; Aronæ Abbatiam Ieſuitarum Collegio donauit; Oblatorum congregationem inſtituit; Immo & expoſitis infantibus, & varijs morbis affectis, & mente captis, nec non virginibus, ad earum tuẽdam honeſtatem prouidit, & Capucinarum monaſterium ædificauit, quampluraq; alia pietatis opera, vir DEI, quandiù vixit, operatus eſt, adeo quòd; omnibus facultatibus ſuis in pauperes erogatis, vnica veſte contentus, qua æſtiuo, & hyberno tempore induebatur, in terris pauper voluntariè effectus, in COELO DITISSIMVS euaſit.

Chriſtus vera vitis.

Carolus tanquam vitis amputata.

Caroli opera heroica.

SYMBOLVM

XVI.

De Deo irato, ſuis precibus placato?

ARGVMENTVM.

Pro Mediolanensis *Populi peccatis, iratus* Devs, *illum epidimiæ morbo lethali percuſſit.*

Quem pijs precibus, & lachrymis, immo proprio ſanguine, placatum reddidit.

SYMBOLVM.

Aqvila in Nido, Alis expanſis, quæ Roſtro proprium latus ferit.

NOEMA.

PROPRIO CRVORE, VITAM.

THEMA.

Pvlli eius lambunt ſanguinem.

Iob. Cap. 39.

EXPOSITIO.

AQVILA, fœtu proprio emiſſo, ne eius filij à cęli iniurijs damnum aliquod patiantur, ALAS ſuper eos expandit, quos itidem a Dracone (qui eis inſidiatur) defendit, quare, ſi cibus tunc temporis eis deeſt (ita ſcribit Ælianus) ipſa Roſtro, proprium latus ferit, eosq; proprio ſanguine nutrit.

Aquilæ prudentia, & amor.

Filios ſpiritualiter procreatos, permultos habebat B. CAROLVS, quos a Draconis infernalis virore fauciatos iugi prædicatione, & ſummis precibus ad Deum, multoties ad ſanitatem reſtituerat; Verum ob eorum recidiuationem, iratus DEVS; Populi multitudinis, epidimiæ morbo lethali puniuit: Quo ſanè tempore, dùm ſæuiſſimo peſtilentiæ morbo infecti erant MEDIOLANENSES, illos Beatus CAROLVS omni mortis periculo abiecto, viſere intermiſit nunquam, quibus ſemper, lue craſſante, Sanctiſſimę Euchariſtiæ Sacramentum proprijs manibus eis miniſtrare non deſtitit, qui demum, nudis pedibus, fune eius collo circumducto, ſupplicationes publicas inſtituit, quare oculis in CHRISTO Crucifixo (quem ipſe geſtabat) ſemper defixis; in dextero pede (qui nudis pedibus incedebat) graui accepto vulnere, proprium ſanguinem copioſe effudit, quo mediante (ſic pie credendum eſt) filijs, tanquam PVLLIS, eius ſanguinem LAMBENTIBVS, tùm animæ, cùm corpori, vitam attuliſſe, DEVMq; ſuis precibus placatum reddidiſſe, pleriq; confeſſi ſunt.

Carolus veluti Aquila filios ſanat.

Deus iratus Mediolanenſes caſtigat.

Caroli Zelus erga Mediolanenſes.

Carolus precibus ſuis Deum reddit placatum.



SYMBOLVM XVII.

De eius bonorum operum ASSIDVITATE.

ARGVMENTVM.

In bonorum operum exercitatione, diù noctuq; inſudans,

A propria corpore, permultos abſtulit annos.

SYMBOLVM.

VOMER ferè conſumptus.

NOEMA.

DIMINVTVS, LVCIDIOR.

THEMA.

Vnuſquiſquè acuet VOMEREM ſuum.

1. Reg. Cap. 13.

EXPOSITIO.

VOMER, aratri ferramentum quoddam eſt, ſic nuncupatum, quod terram vomat, ſiuè eruat, *Vomer vndè dicatur.* cultri formam gerit, prædenſam priuſquam proſcindatur, terram ſecans, futuriſq; ſulcis præſcribens inciſuris, qui ex quotidiano vſu, totus ferè conſumptus cernitur, verum magis ſplendeſcit.

Beatum CAROLVM (animarum adminiſtratione ſpirituali ſuſcepta) veluti VOMEREM extitiſſe, liquidò conſtat. *Carolus myſticus vomer.* Ipſe enim cordis fidelium terram, ſuis prædicationibus potiſsimum, proſcindendo, iugiter colebat, & id, quod ore dicebat, operibus adimplere nitebatur; præterquam quòd, pro extirpandis vitijs, quæ in HVMILIATORVM Congregatione, veluti in terra tribulis referta, radicem poſuerant, reformationis VOMERE adhibito, vt ea penitus eradicaret animum cum induxiſſet, Nonnulli ex eis, in ſanctum virum, odio implacabili, & diabolico furore incenſi, illum è medio tollere decreuerunt, quare, homine audaciſsimo inuento; dùm ſeruus DEI in oratorio, cum tota familia orabat, paruulo tormento emiſſo, illum in tergo percuſsit, cuius globi ictus, vſque ad cutem penetrauit, ibiq; liuoris notam impreſsit, quæ ad miraculi comprobationem vſq; ad illius vitæ finem permanſit, nihil tamen ſancto viro nocuit; qui immobilis permanens; nec non ſilentio indicto, ne quis ſe commoueret, inceptum cum DEO colloquium, admirabili fidei conſtantia, & animi fortitudine abſoluit. *Carolus miraculosè præſeruatus à morte.* In hiſce operibus igitur, corporis ſui VOMERE conſumpto; per miraculorum coruſcationem, nunc LVCIDIOR apparet.

SYMBOLVM XVIII.

De eius frequenti MEDITATIONE.

ARGVMENTVM.

In CHRISTO crucifixo, eius cogitationes, verba, & opera, iugiter erant intenta.

SYMBOLVM.

HAEDERA LIGNO circumuoluta, ſub benigno LVNAE aſpectu.

NOEMA.

INNIXA SVRSVM.

THEMA.

INNIXA ſuper DILECTVM ſuum.

Cant. Cap. 8.

Hadera vnde dicitur.

HÆDERA, ab hęrendo dicta eſt, eò quòd ſemper hęreat, & quicquid ei proximum eſt, ſequatur, quæ per ſe ſtare nequit; atque hinc eſt, quòd parieti, aut LIGNO, ſic adhæret, a quo poſtea, haud facile diuelli poteſt.

Carolus myſtica hadera.

Tanquam myſtica HAEDERA B. CAROLVS extitit, qui SPEI Anchora in ipſo DEO firmata, pro ſui, populiq; ſibi commiſſi ſalute, illum iugiter deprecabatur; cuius orandi aſſiduitas, tanta erat, quòd omnibus perſpecta cum ſit, nec mea, nec cuiuſquam commemoratione indiget, quare; ſicuti HAEDERA, quæ per ſe ſubſiſtere nequit, ſic glorioſus Heros (veluti alter Abraham, qui Deum alloquendo, dicebat; *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis, & cinis*) non ſolum in corde, & in ore, ſed & in cunctis ſuis operibus, de proprijs viribus penitus diffidens, in ipſo CRVCIS LIGNO, in quo ſalus, & ſpes noſtra eſt poſita, per frequentem meditationem ſic adhęrebat, quòd ab eo, per mentis abſtractionem diuelli vix poterat; quare ad CHRISTI plagas meditandas potiſſimum, iugiter intentus DEI ſeruus CAROLVS, SVRSVM, in cęlis (quamuis terræ incola eſſet) deuoto mentis affectu habitabat.

Carolis deuotio erga Chriſtum.

SYMBOLVM

XIX.

De eius ANIMI candore.

ARGVMENTVM.

Ad piè ſanctéque viuendum iugiter intentus;

Sacramentorum vſum frequentabat, quibus munitus, ad humani generis hoſtem ſæuum debellandum ſe diſpoſuit.

SYMBOLVM.

CYGNVS propè FLVMEN, ſæpè, ac ſæpius ſe lauando.

NOEMA.

VT PVRIOR FIAM.

THEMA.

Lauabis me, & ſuper NIVEM dealbabor.
Pſal. 50.

CYGNVS, Auis candida eſt, Anſere maior, argutam habens vocem, & potiſſimum mortis ſuę tempore appropinquante. *Cygnus quid ſit.*

Qualis noſtri myſtici CYGNI, CAROLI Beati, animi candor extiterit, ex anteactæ vitæ puritate, morumq; ſanctitate, omnibus pro comperto habetur; quare mortis ſuæ hora aduenientè, priuſquam ex hoc ſeculo migraret; ſacroſanctis Paſſionis CHRISTI myſterijs in monte VARALLO flexis, ac nudis genibus meditatis, ib q; canora voce DEI laudibus decantatis, huiuſce vitæ miſeriam deplorando, ſæpè, ac ſæpius Regij Pſaltis verba repetens; *Heú mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, cum Apoſtolo clamabat; *Cupio diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO, ipſius preces a Deo exauditas eſſe, ab Angelo admonitus (ita piè eredendum eſt) paulo poſt febri correptus, mortem minimè pertimeſcens; MEDIOLANVM verſus iter dirigere cępit, in quo quidem itinere, pijs adhuc intentus operibus, MEDIOLANVM ferè ſemiuiuus cum redijſſet, vt Medicis (immò Confeſſori ſuo) obediret in lecto decumbens, quem ſacris iuſſerat ornari imaginibus, in CHRISTI ſepultura defixis oculis; VT PVRIOR fieret, fortiorq; euaderet, pro longo itinere habendo, ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, necnon ſacra vnctione munitus, ad extremum illud certamen, optimè munitus, cum Propheta dicere potuit, vt in THEMATE; LAVABIS me, & ſuper NIVEM dealbabor.

Carolus myſticus Cygnus.

Caroli oratio à Deo exaudita.

Caroli deuotio in ſuſcipiendis Sacramentis.

SYMBOLVM XX.

De PRAEMIO eius heroicis operibus parato.

ARGVMENTVM.

Pro diuino cultu augendo, necnon pro animarum ſalute acquirenda (quandiù vixit) ſemper intentus;

Vitæq; ſuæ curſu conſummato, ſe de PRAEMIO *ſibi parato monitum fuiſſe, piè credendum eſt.*

SYMBOLVM.

PALMAE coma, CVPRESSI ramuſculo iuncta; NVBEM lucidam in parte dextera deſuper habentes; in qua REGIVM DIADEMA conſpicitur.

NOEMA.

ÆQVALES AD ILLVD.

THEMA.

Mihi viuere CHRISTVS eſt, & MORI lucrum. *Philipp. 1.*

EXPO-

EXPOSITIO.

PALMA, arbor nobilis eſt, comam in cacumine circumextenſam, & ramos in digitorum modo protenſos habens, Hæc inquam Triumphantibus in victoriæ ſignum dabatur. CVPRESSVS verò arbor procera eſt, hanc funebri ſigno, antè defunctorum ædes, poſuere maiores. Quam dignè heroicis operibus à B. CAROLO (quandiù vixit) præſtitus; PALMA ſiquidem in victoriæ ſignum, quod de inimicis ſpiritualibus millies reportauerat, deberetur, qui mentis compos eſt, facile adiudicabit; quare ſilentio prætereuntes ea omnia, quæ ſuperius dicta fuere, vt vnico verbo, quæ in eius laudem dici poſſent, compræhendamus, ea inquam, quæ de magno AMBROSIO, Eccleſiæ Doctore eximio, qui mille amplius poſt annis, MEDIOLANENSIS metropolis, & ipſe Antiſtes fuit, eadem planè B. CAROLO eius ſucceſſori conuenire; qui libros varios hac de re conſcriptos legerit, facilè intelliget. Cum igitur, vſque ad mortem CAROLVS fidelis fuerit, meritò CORONA vitæ, de qua Apocalip. 2 dicitur; *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi* CORONAM *vitæ*, ei debebatur; Iminò in ipſa morte, quam ob vitæ auſteritatem, & continuos labores, pro animarum ſalute perpeſſos, ſibimet acceleraſſe liquidò conſtat; quare CVPRESSI ramuſculus, loco PALMAE ei inſeruire potuit, adeò quod, non immeritò dicere poterat, vt in THEMATE; Mihi viuere CHRISTVS eſt, & MORI lucrum.

Palma quid.

Cupreſſus quid.

Palma Carolo conuenit.

Carol' Ambroſio ſimilis.

SYMBOLVM XXI.

De Mortis tempore ſibi imminente.

ARGVMENTVM.

Religionis, ſanctitatisque ſigna non obſcura,

Morti proximum eum dediſſe, liquidò conſtat,

SYMBOLVM.

Sol, qui ad Occaſum tendens, magis clareſcit.

NOEMA.

Delitescit, Vt renascatvr.

THEMA.

Occidet Sol in meridie.

Amos. Cap. 8.

SOL, planetarum omnium medius, temporum diſpenſator eſt, qui ſuo aduentu diem, receſſu verò noctem efficere in dies experimur. Cum igitur ad Occaſum tendit, priuſquam ab oculis noſtris ſuam amoueat lucem, illam clariorem, ac ſplendidiorem reddit, quo peracto, confeſtim lucis ſuæ radios quodammodo ad ſe retrahit, dum ad Antipodas iter ſuum dirigit, quos ſequenti manè nobis denuo illos manifeſtat. *Sol quid ſit.*

Myſtici SOLIS CHRISTI, radium fulgentiſſimum fuiſſe B. CAROLVM ex iis, quæ dum vixit, operatus eſt, luce meridiana clarius apparet; prout ex præſagio, in natiuitatis ſuę exordio, oculis hominum manifeſtato, liquidò conſtat; Immò veluti SOL lucidiſſimus, doctrina, & exemplis ſemper ſe præbuit, inter tot peccatorum tenebras, vir glorioſus, quibus MEDIOLANI ciuitas, cum ad eius ſpirituale regimen acceſſit, abundabat; Quare mirum non eſt, ſi tot, tantiſq; curis, vigiliis, ieiuniis, peregrinationibus, abſtinentiis, orationibus, & id genus aliis, illius corpus nimis defatigatum; IN MERIDIE, hoc eſt in virium ſuarum maiori robore, vix quadrageſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno elapſo; SOL ſoi ſpiritus, maximo omnium mœrore, DELITVIT, qui in glorioſa corporum reſurrectione eius corpori coniunctus, omnium oculis præbebit ſe.

Carolus Solis Christi radius.

Carolus illuminat Mediolanẽſem Eccleſiam.

Carolus quandiu vixit.

SYM-

SYMBOLVM XXII.

De eius MORTIS cum VITA commutatione.

ARGVMENTVM.

Vitæ ſuæ curriculo, ante tempus in pijs operibus conſumpto;

Eius anima ad cœlum redeunte, CORONA GLORIÆ decoratur.

SYMBOLVM.

VAPOR a SOLIS radijs ſurſum eleuatus.

NOEMA.

CVM CLARITATE QVIESCIT.

THEMA.

Quieſces, & ſuauis erit SOMNVS tuus.

Prou. Cap. 3.

EXPOSITIO.

VAPOR, alicuius tenuis humoris exalatio eſt, qui radiorum SOLIS virtute, ad ſupremam aeris regionem eleuatus, ipſummet SOLEM coronare videtur. Quemlibet hominem fidelem VAPORIS nomine appellari poſſe, Simaci translatio in illud Pſalmi; *Homo vanitati ſimilis factus eſt* habet, dicens; Homo VAPORI ſimilis factus eſt. *Vapor quid* *Homo fidelis vapor eſt*

Tanquam tenuiſſimus VAPOR, Beati CAROLI ſpiritus extitit; is enim myſtici SOLIS radiorum virtute, (CHRISTI videlicet) a corporis ſui terra, ad cœlum in eius tranſitu eleuatus eſt, adeò quod ipſum CHRISTVM, (qui Eccleſiæ caput nuncupatur) quodammodo coronaſſe videtur, dum per imitationem eius veſtigia ſequutus eſt, quod iuxta Iſaiæ vaticinium eſt, c 62. dicentis; *Eris* CORONA GLORIAE *in manu* DEI, qui ſanctorum omnium CORONA eſt; quare; CVM CLARITATE QVIESCENS, per miraculorum coruſcationem, ipſius ſerui DEI mors, iurè meritò, SOMNVS nuncupari debuit. *Caroli ſpiritus vapor eſt.* *Carolus Chriſti corona.* *Caroli mors ſomnus dicitur.*

SYMBOLVM
XXIII.
De eius SEPVLTVRA.

ARGVMENTVM.

Poſt aſſiduam per tres dies, totidemq; noctes Populi frequentiam, ad illud ſacrum corpus deoſculandum;

Tandem maximo omnium mærore, ſepulturæ traditum eſt.

SYMBOLVM.

SERPENTIS EXVVIAE apud LAPIDEM relictæ.

NOEMA.

DELECTANT, NON TERRENT

THEMA.

Et erit SEPVLCHRVM eius GLORIOSVM *Iſa. Cap.* 11.

EXPO.

EXPOSITIO.

EXVVIAE, ab exeundo dictæ ſunt, & de SERPENTE potiſsimum, Naturales referunt, quod tranlacto hyeme (quo ſane tempore ſubtus terram, per aliquot menſes commoratus eſt) aduenient vere, lapidem, ſtrictam habens foramen, quærit, per quem pertranſire nititur, relictis poſt ſe proprijs EXVVIIS, quare ſic inſtauratus, iuniores acquirit vires, quas quidem EXVVIAS, nemo pertimeſcere pro comperto habetur. *Serpentis exuuia vnde dicta*

SERPENTIS Prudentia, quandiu vixit, ſemper vſus eſt B. CAROLVS, quæ in hoc potiſsimum conſiſtit, quòd caput pluſquam cętera membra, ſeruare ſtudet, quapropter; vt illud incolume tueatur, ictibus totum corpus exponit, & meritò quidem, cum in eo illius vita conſiſtat: Ita Prudentiſsimus PASTOR, qui SERPENTIS inſtar, vt ipſius, nec non Gregis ſibi commiſsi, ſalus ſequeretur; omnia fortunæ, necnon corporis bona, periculo ſemper expoſuit, modo caput (idest Animæ ſalus) ſequeretur. Cum igitur placidè in DOMINO obdormiſſet, ad eius SEPVLCHRVM, quòd ſibi ędificandum ſine vlla pompa conſtituerat, corporis reliquit EXVVIAS, quæ cum admodum DELECTENT; ob id, innumerabiles ibi confluunt homines, adeò quòd, ob miraculorum coruſcationem; SEPVLCHRVM eius GLORIOSVM (vt in THEMATE vocari poteſt. *Carolus ſerpentis prudentia vſus eſt.* *Caroli corpus veluti ſerpentis exuuia.*

SYMBOLVM XXIIII.

De SANCTITATIS odore poſt ſe relicto.

ARGVMENTVM.

Propter opera, omni laude digna, ab eo dùm viueret, patrata;

Nec non ob Angelicas virtutes, & morum exemplaritatem, quibus fuit conſpicuus, eius SANCTITATIS ODOR, vbiq; redolere cœpit.

SYMBOLVM.

LILIVM ALBVM, à ſuo ceſpite abſciſum.

NOEMA.

REDOLET, ET SANAT.

THEMA.

Et florebit, quaſi LILIVM.

Iſa. Cap. 35.

EXPOSITIO.

LILIVM, flos notiſſimus eſt,& candidiſſimus, intus, & extra, valde redolens, cæteris floribus excelſior, folijs foris ſtratis,& ab anguſto in latum paulatim ſe laxantibus, tenui filo, & ſeminibus croceis in medio ſtantibus. Ex quo quidem flore, oleum conficitur,& vnguentum,quod ad curanda vulnera, & ad leniendos dolores,multum prodeſt. *Lilium quid.*

Beati CAROLI ſanctum corpus, in ſepulchro iam conditum; propter anteactæ vitæ ipſius puritatem, tanquam LILIVM candidiſsimum, nec non propter eximiam ſuam charitatem,aureo colore manifeſtatam,ac ob alias præclaras virtutes,quæ in eius animo,veluti micantia ſydera fulgebant,tantam ſanctitatis fragrantiam, per vniuerſum terrarum orbem emittebat,quod innumerabiles fideles, ad eius ſacras Reliquias venerandas, confluxerunt,& in dies confluunt, quare ex eo, veluti LILIVM propter morum ſanctitatem, & vitæ exemplaritatem; oleum, & vnguentum ad noſtros defectus, cordisq; punctiones curandas,confectum eſt,quòd iugiter; REDOLET, ET SANAT, & in dies, magis, ac magis per miraculorum coruſcationem,tanquam LILIVM floret.

Caroli corpus mortuũ tãquam lilium eſt.

Caroli corpus à multis veneratur.

SYMBOLVM XXV.

De Miracvlorvm coruſcatione eius precibus mediantibus.

ARGVMENTVM.

Ad ipſius ſanctum corpus in ſepulchro conditum, pijs oblationibus, vndique confluentes fideles;

Quod à Deo *expoſtulant, eius precibus mediantibus, vt plurimum conſequuntur.*

SYMBOLVM.

Cornvcopiae, omnium fructuum primitijs refertæ.

NOEMA.

HINC OMNE BONVM.

THEMA.

Et adiuuit pauperem de Inopia.

Pſal. 106.

De Amalthea, Iouis nutrice, fabulaſcere Poetæ, caprino lacte, ac melle infantem in Idam montem Cretæ a matre Iunone miſſum, ibi pauiſſe; pro cuius beneficij gratitudine, ipſe Iupiter, nutrici ſuæ Amaltheae, Cornvcopiae donò dedit, a quo diuitias, honores, dignitates, ſanitatem, & quicquid pro libito petebat, iugiter effluebat, de quo Lactant Firm. lib. 1. diuin. inſtit. c. 72. longum habet ſermonem. Nemini pro abſurdo videri debet, quod in hoc poſtremo Symbolo, hac fabula vti volumus, quæ Prophetia potius cenſenda eſt; etenim tertia filia Iob poſt tribulationem, quam forti animo ſuſtinuit, a ſeptuaginta Interpretibus, hoc idem nomine nuncupata eſt: *Nomen tertiæ Cornuſtibij*, ſic in Sacra Scriptura legitur, & ipſi legunt; Nomen tertiæ Cornv Amaltheae.

Amalthea fabula.

Author cur fabula vſus eſt.

Ea, quæ de Iouis liberalitate, erga ſuam nutricem diximus, eadem ferè de Beati Caroli benignitate erga ſuos deuotos, affirmare poſſumus, qui ad eius ſepulchrum, (ſeu etiam ad ipſius ſacram effigiem) votis, precibusve accedunt, modicamq; oblationem pro illius ſacri corporis veneratione porrigunt, ab eius tumulo non recedunt ſecundum Dei placitum quin (vt plurimum) eorum preces, non exaudiantur; quare, non ſolum Eccleſia ad eius laudem meritò canit, vt in Hymno Confeſſorum;

Caroli benignitas erga ſuos deuotos.

Multis prodeſt Carolus.

Ad ſacrum cuius
Tumulum frequenter,
Membra languentum
Modo ſanitati;
Quolibet morbo fuerint grauata,
Reſtituuntur.

Sed tanquam à Cornvcopiae vberrimo, omne bonum emanat, adeò quòd, per vniuerſum terrarum orbem, miraculorum ſplendore clariſſimus glorioſus Dei ſeruus Carolvs, cuncti fideles, ipſi Deo, omnium bonorum largitori, qui; *Mirabilis eſt, & glorioſus in Sanctis ſuis*, & huic Sancto Antisiiti potiſſimum, quã Adivvit Pauperem De Inopia, immortales

Carolus miraculis per totum orbẽ clariſſimus.

gratias referre debeat. Prout Ego miſerrimus Peccator, qui de ſpirituali INOPIA, qua vrgebar, ipſius Sancti interceſſionibus adiutus, eas (quas poſſum) refero, ipſumq; vt nunc, & in hora exitus mei, apud Patrem miſericordiæ, pro me orare dignetur, exoro.

Author de ſeipſo loquitur.

DE THEATRO SPIRITVALI

SECVNDVS ORDO.

REGIVM DIADEMA.

Duodecim VIRTVTVM LAPILLIS exornatum.

SANCTO CAROLO CARD. ET ARCHIEP. MEDIOL. omni iure debitum.

THEMATE

Ex Regio Pſalte deſumpto. Pſal. 20.

Poſuiſti in capite eius CORONAM *de lapide pretioſo.*

HIEROGLYPHICIS SYMBOLIS

delineatum.

644

PRAEFATIO

Themate ex Pſalmo XX. deſumpto.

Poſuiſti in capite eius CORONAM *de lapide pretioſo.*

PRAEDESTINATORVM numerum, & eorum, qui in ſuperna felicitate ſunt locandi, certum eſſe, & infallibilem apud DEVM, vniuerſus Theologorum cętus fatetur, quòd D. Augu. authoritate lib. de cor. & gra. confirmatum eſt, dicentis; Certus eſt Prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri poteſt, nec minui. Nec ob id liberi arbitrij vius in ipſis Prædeſtinatis aufertur, etenim neminem cogit DEVS, inuitumve ad ſe trahit, quin potius vnumquemque in ma nu conſilij ſui relinquit, vt ad quod voluerit, manum porrigat, ſiue ad bonum, ſiue ad malum. Qua ſtante libertate adhuc electorum numerus determinatus eſt & certus, per quam electionem, nullus Prædeſtinatus fraudari poteſt, aut perire. Deus enim non vi, ſed amore illos attrahit, & in ſuam retinet amicitiam, quód per Ierem. 31. ipſemet Deus teſtatum reliquit, illis verbis, *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te, miſerans tui,* quem locum Lyranus de vnoquoque prædeſtinato exponit, ex quibus verbis (iuxta Ionatæ verſionem) colligitur, infinitam Dei bonitatem, cauſam eſſe huiuſce electionis, qui legit; In benignitate attraxi te, ſeù, vt alia littera habet; In miſericordia attraxi te. PRAEDESTINATVS ergo, qui ante mundi conſtitutionem ab infinita Dei bonitate in libro vitę indelebiliter ſcriptus eſt, vt eius gloria fruatur, qui vt Prædeſtinatus, cum non poſſit damnari, de eo id, quod in præaſſumpto THEMATE diximus, adimpleri certum eſt; ad hunc enim ſenſum, Regij Pſaltis verba referuntur, qui DEVM alloquens, dixit, POSVISTI *in capite eius* CORONAM *de lapide pretioſo;* Quare de glorioſo CHRISTI athleta CAROLO peculiariter ſermonem habentes, qui in cęlis triumphat, DEO gratias agentes, dicere poſſumus id quod pro THEMATE aſſumpſimus, qui gloria, & honore coronauit eum.

Diuerſorum generum CORONAE, eæq́, in magno pretio habitę apud Romanos fuere. TRIVMPHALIS videlicet, quæ Imperatoribus poſt victoriam ad vrbem redeuntibus, ad triumphum mittebatur; Hæc antiquitus ex LAVRO fiebat, poſtea etiam ex auro puriſſimo fieri cępta eſt. OBSIDIONALIS altera, quam ab obſidione liberati, ei, qui ipſos liberauerat, dabant, ex GRAMINE indè decerpto, vbi obleſſos ille ſeruaſſet. CIVICA alia dicebatur, q̃ ciuis ciui a quo ſeruatus fuerat in prælio, teſtem vitæ, perceptæq́, ſalutis dabat, & hæc ex QVERCV erat contexta. MVRALIS inſuper altera erat, quæ ab Imperatore donabatur, qui primus murũ ſubijſſet, inque oppidum hoſtium per vim aſcendiſſet, quæ ex AVRO fiebat, ad incitandos militum animos ad oppugnationem. VALLARIS, quæ & CASTRENSIS nuncupabatur, alia inſuper erat, quæ ei qui primus hoſtium caſtra, pugna introiuiſſet, donabatur, & hæc itidẽ AVREA erat. NAVALIS quoque AVREA, quibuſdam quaſi roſtris nauium inſignita, altera erat, quæ donari conſueuerat illi, qui primus maritimo prælio in hoſtium nauim vi tranſilijſſet. OVALIS CORONA demum erat, & hęc MYRTEA, qua Imperatores vtebantur, cum ouantes ciuitatem introibant. Propter egregia facinora à glorioſo Heroe CAROLO, quandiu in hoc mundo vixit, patrata; quòd vnaquæque CORONA, quas nuper recenſuimus, meritò eius capiti aptanda ſit, ex ijs quæ mox dicturi ſumus, manifeſtè apparebit.

Ac primò, cum millies de humani generis hoſte ſæuiſſimo (de quo legitur in Iob c.41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei*) victoriam, vt piè credendum eſt, retuliſſet, meritò, CORONA EX LAVRO contexta, qua olim Imperatores triumphantes in vrbe recipiebantur, laureari dignus fuit. Prout, & GRAMINEA CORONA, quæ ei dabatur, qui ab obſidione liberaſſet, illius caput coronam meruit, nam MEDIOLANI ARCHIEPISCOPATVS onere ſuſcepto, Auunculo Pontifice ſummo adhuc viuente, magnis precibus ab eo impetrauit, vt ſibi liceret MEDIOLANVM accedere, vt populum ſibi commiſſum, à Diabolo (peccato mediante) obſeſſum, liberaret quod

valdè

val ſe præſtitit. CORONA ex QVERCV, quæ CIVICA dicebatur, priuari haud debuit fortiſſimus CHRISTI miles, qui ſuos conciues in prælio, lethali peccatorum vulnere percuſſos, ipſe doctrina, & exemplis, eos ab æterna morte liberauit. MVRALI CORONA, ex AVRO facta eius caput exornari debuit, quippe qui in Eccleſiaſtica iuriſdictione augenda, niſi muros, ſaltem SCALENSIS Eccleſiæ fores ingredi, cum euidentiſſimo vitæ periculo, non dubitauit. AVREA inſuper CORONA meruit decorari ſanctus vir, hæc enim ei donabatur, qui primus hoſtium caſtra, pugna intro iuiſſet; nam pro extirpandis vitijs, & DEI honore tuendo, HVMILIATORVM Congregationem reformare volens, nonnulli ex eis, diabolico furore incenſi, illum è medio tollere decreuerunt, ſed ab ipſo DEO, ſcuto quodam inuiſibili protectus, illæſus extitit. NAVALI CORONA, & ipſa pariter ex AVRO fabrefacta, inſigniri debuit, fidelis DEI ſeruus CAROLVS, qui in huiuſce ſeculi mari conſtitutus, vt tutius omnia maris pericula euaderet, tanquam alter Vlyſſes, de quo fabulati ſunt Poetæ, arbori nauigij, hoc eſt ſanctæ CRVCIS LIGNO, quam iugiter ante mentis oculos habebat, ſeſe alligauerat, & hoc modo omne periculum euaſit, ſibi ſubditos, omni tempore, vt eius veſtigia ſequerentur, erudiens, quare æterni naufragij, detrimentum non incurrit, quippe qui ad paradiſi portum peruenire meruit. MYRTEA CORONA denique huiuſce fortiſſimi viri caput, exornandum erat, qui licet ciuitates non expugnauerit, tamen vt ſuimet triumphator, cum Prou. 16 ſcriptum ſit; *Melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*, cum ipſe de ſuo affectu millies triumphaſset, illa priuari haud debuit. Non immerito igitur, omnipotenti, & clementiſſimo DEO, qui mirabilis eſt in SANCTIS ſuis, immortales gratias referentes, CAROLO glorioſo gratulari debemus, cuius miraculis illuſtris precibus, tot tantaque bona pro animæ, & corporis ſalute, nobis cęlitùs effluunt, quare ipſius gloriæ datorem alloquentes, qui *mirificauit* SANCTVM *ſuum*, dicere debemus, vt in præaſſumpto THEMATE; *Poſuiſti in capite eius* CORONAM *de lapide pretioſo*, ideſt, CORONAM eximiarum virtutum, de quibus mox dicturi ſumus.

REGII
Diadematis.

PRIMVS LAPILLVS
Fides.

THEMA.

In omnibus ſumentes SCVTVM FIDEI.
Epheſ. Cap. 6.

SYMBOLVM.

BRACHIVM, SCVTO
munitum, in quo ho-
ſtium SAGITTÆ
infixæ ſunt.

NOEMA.

DEFENDIT, CVSTODITq́;.

DILV-

DILVCIDATIO.

QVONIAM DEVS in neceſſarijs nunquam deficit, & intellectus noſter (Philoſopho teſte) ad ea, quę manifeſta ſunt naturæ, ſe habet ſicut oculus Nicticoracis ad lumen Solis, hinc eſt, quód ad multas proprietates diuinas pertingere nequit, quas tamen intelligere, & ſcire, vt DEVM ipſum congiuo honore in eis colere, & venerari valeat, neceſſarium eſt; Quó factum eſt, vt pijſsimus DEVS, noſtri intellectus defectui ſubuenire dignatus ſit, dùm eas nobis reuelauit, easq; fidelium mentibus cões reddidit, quibus noſtrum eſt aſſentiri, & hmōi aſſenſus FIDES nuncupatur, quæ præclariſsima virtus, ianua eſt, & principium noſtrę ſalutis, de qua multa diximus in noſtro Quadrageſimali typis excuſo in ſer. v. Cinerum. Nec immeritò quidem FIDES SCVTVM appellatur, vt in præaſſumpto THEMATE dicitur; In omnibus ſumētes SCVTVM FIDEI; Aut quia in SCVTO tres anguli ſunt, & vnum SCVTVM ſolum, ad innuendum, quid fidelis homo credere teneatur; hoc eſt, Tres perſonas realiter inter ſe diſtinctas; Patrem videlicet, Filium, & Spiritum S. quorum diuina eſſentia prorſus eadem eſt, & indiuiſa; vel quia ipſa FIDES ſe extendit ad credendum ea, quę de Incarnato Verbo dicta ſunt, in quo tres ſubſtantiæ (quemadmodum in SCVTO tres anguli) caro videlicet, anima, & diuinitas, & adhuc vna ſola hypoſtaſis, & perſona eſt, de quibus D. Athanaſius in Symbolo multa, & ea præclara diſſerit, ſeù FIDES SCVTVM dicitur, quia ſicuti SCVTVM in brachio ſiniſtro fertur, ſic FIDES in præſenti vita ſolū habetur, quę pars ſiniſtra eſt; in parte autem dextera, quę æternam vitam innuit, nec FIDES, nec Spes erit, ſed ſola Charitas, quæ vt Apoſt. 1. Cor. 13 habet; *nunquam excidit.* Aut demū FIDES SCVTVM dicitur, quia; ſicuti SCVTVM, primos hoſtiū ictus ſuſcipit, & cætera arma protegit, corpusq; defendit; ſic FIDES, licet primas Dęmonū ſuggeſtiones ſentiat, eas illicò, tanquā SCVTVM abijcit, virtutes cunctas cuſtodit, animamq; defendit, ac protegit, quare cōueniēs eſt NORMA præſato SYMBOLO aptatū, quod eſt; DEFENDIT, CVSTODITQ;. DEFENDIT inquā hominē fide-

Intellectus noſtri imbecillitas.

Deus intellectus noſtri de ectus ſupplevit.

Fides ſcutum appellatur triplici de cauſa.

Fides ſolum in præſenti vita habetur.

Fides hominem defendit.

Fides quo vincit mundum

fidelem a tribus præcipuis hoſtibus, qui; vt eum perdant, iugiter inſequuntur. Fidei Scvtvm mundum vincit, prout 1 Io. 5. habetur. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, Fides noſtra.* Vincere aūt mundū, eſt vincere tentationem de auaritia, & cupiditate tēporalium, quam mundus ingerit; hanc inquā tentationē vincit, & ſuperat Fides, cum per ſacram ſcripturam oſtendat, in rebus temporalibus vanitatem conſiſtere, & nullam ſtabilitate in eis eſſe, vt Eccl. 1 habetur; *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* Afflictio ſpiritus inquā eſt, tum in acquirendo temporalia bona pp nimiam ſollicitudinem, tum ēt in cuſtodiendo ea pp timorem, ne amittantur. Amplius Scvtvm Fidei vincit carnem, ideſt car-

Fides carnē vincit.

nalem tentationem, quæ ante mentis noſtræ oculos, horrenda inferni ſupplicia ponit, à Deo, iis parata, qui carnalia ſequuntur deſideria, quæ militant aduerſus animam, adeò quod, fornicatores, & adulteros iudicabit Deus, ait Apoſt. Heb. 13. eos ſcilicet ad æterna ſupplicia deputādo, pro momentanea voluptate. Tandem Fidei Scvtvm

Fides Diabolū vincit.

Diabolū vincit, & ipſa mediante, omnes eius tentationes ſuperantur; nam cū de ſuperbia nos tentat, Fides illud Eccl. 10 nobis proponit; *Quid ſuperbis terra, & cinis?* nec non ad memoriam noſtram reuocat exempla Pharaonis, Holofernis, Nabuchodonoſor, & id genus alia, quare Fidei Scvto mediante, vnuſquiſq; fidelis ab humani ge-

Fides virtutes cuſtodit.

neris ictibus viriliter ſe Defendit, Cvstoditq; ceteras virtutes, quæ in anima fideli ſunt, nā ſine Fidei fundamento, totum ſpirituale ædificiū ruit, ſine qua (ait Apoſtolus Hebr. 11.) *impoſſibile eſt placere Deo,* quòd de Fide perfecta, & viua intelligēdum eſt, quam qui habet, omnia a Deo impetrat, & (vt ita dicam) ipſum Devm, ad præſtandum id, quod petitur cogit, Hanc S. Moyſes habuiſſe certū eſt, cui Deus Exo. 14. dixit, *Quid clamas ad me?* quaſi illi vim inferret, vt populo ſuo ignoſceret Devs.

Carolus maxima fide exornatus.

Inter præclaras, & eximias Virtvtes, quæ tanquam pretioſi Lapilli Regivm Diadema S. Carolo præſtitum, exornant; Fidem maximo fulgore radiare, mentis noſtræ oculis cernimus. Fidem inquam habuit magnam glorioſus Dei ſeruus, inquantum Fides eſt

habitus

habitus à Deo infuſus, quo creditur, quod de ipſo Deo non videtur, nec non Fidem habuit, inquantum eſt reuelatio non apparentium, ſeu credibilium, hoc eſt de articulis Fidei, quos corde credidit, & ore docuit, prout et operibus ipſis, ſe eos firmiſsime tenuiſſe millies comprobauit. Et vt ſilentio pertranſeamus, neminem maiori ſtudio & diligentia apud Auunculum Sum. Pont. contendiſſe, quam vt S. Concil. Trid. tamdiu cęptum perficeretur, & illo abſoluto, vt ea omnia ac potiſsimum, quæ ad Fidem ſpectabant, adamuſsim obſeruarentur ipſomet glorioſo Carolo, qui paulo poſt, ad Prouintiale Concilium celebrandum, vt ea quæ ad Fidem præcipuè ſpectabant, inuiolabiliter ſeruarentur, Mediolanum acceſsit, quod mira celeritate confecit; illud ſolum in medium afferre decreuimus, quod accidit eo inquam tempore, quo Mediolanensis populus, ſæuiſsimo peſtilentiæ morbo laborabat, adeò quòd trecenti homines ſingulis diebus, per multum temporis ſpatium, ſæuitia morbi interimebant; ipſe enim veluti alter Moyſes, tanta Fide, diuinum implorauit auxilium, quod ipſum Devm reddidit placatum, & ciuitas illa, iam ſummo mœrore confecta, ſanctiſsimi Antiſtitis precibus, magna fide coniunctis, ad priſtinam ſanitatem, non ſine maxima omniũ admiratione, per ſupplicationes publicas, reſtituta eſt, quòd à viris probis miraculosè id factum fuiſſe iudicatum eſt; ſanctę enim Fidei, nihil negari poterat, quamuis id quòd Ieremiæ 7. dictum eſt, & ipſum audiſse credendum eſt: *Tu noli orare pro populo iſto, nec aßumas pro eis laudem*, ac ſi dicere voluiſſet ipſemet Devs; ſi ante me venit oratio feruens, quæ magna Fide prędita ſit, non poſſum non ei aſſentiri, quare, ne ſuſus oret, iubeo; Hac magna Fide, glorioſi Caroli comitata erat oratio, quare quicquid à Deo voluit, conſequi meruit, prout alibi dicemus. Hac igitur viua, & perfecta Fide, exornatum habens animum, Beatus iſte Dei ſeruus; æquum eſt, vt debitas ipſi Deo perſoluamus laudes, qui in capite Caroli, poſuit Coronam de lapide precioſo, adeò quòd; cunctis Chriſti fidelibus, fulgidus apparet Fidei Lapillvs, qui in eius Regio Diademate refulget.

Caroli ſolicitudo

Caroli pietas.

Miraculosè ciuitas liberatur.

Verba Ieremiæ quomodo in 2 intellig nda.

SECVN-

SECVNDVS LAPILLVS
Timor Dei.

THEMA.

Beatus vir, qui TIMET DOMINVM. Pſal. III.

SYMBOLVM.

LEPVS, quæ oculis dormit apertis.

NOEMA.

COR VIGILAT.

DILV-

DILVCIDATIO.

INTER ceteras fidei vtilitates, præſtantiſſima hæc eſt, quòd TIMOREM in hominis fidelis corde cauſat; Ex hoc enim, quod quis credit DEVM eſſe iuſtum retributorem, qui iuſtis gloriam, peccatoribus verò pœnas dat æternas, ob id timet; qui ſanè TIMOR, licet ſeruilis ſit, cum per gehennæ timorem, homo à peccato ſe contineat, ac per conſequēs imperfectus ſit, bonus tamen eſt, & vtilis, nam per eum paulatim, iuſtitiæ fit conſuetudo, & ab hoc, ad initialem TIMOREM procedit fidelis, qui partim pœnæ timore, partim amore iuſtitiæ, bonum operatur, & tunc initialis TIMOR dicitur, eo quod in mente humana, ſanctæ charitati locum parare incipit, de quo Regius Pſaltes dixit; *Initium ſapientiæ*, TIMOR DOMINI, & Magiſt. in 3. ſent. diſt. 34 ait; TIMOR quaſi locum præparat CHARITATI; at eodem temporis momento, quòd Charitas in corde habitare incipit, tunc pellitur TIMOR, qui ei præparauit locum, quare; quantum illa creſcit, iſte decreſcit, & quantum illa fit interior, iſte foras pellitur; maior charitas, minor timor; minor charitas, maior timor. At verus TIMOR, de quo in aſſumpto THEMATE ſermo noſter eſt, cum dicimus; *Beatus vir, qui* TIMET DOMINVM, is dicitur, quo quis, non timore alicuius mali, ſed puro mētis ſuæ affectu, à malo abſtinet, & cum eo ſtat charitas, de quo illud Pſal. 18. intelligendum eſt; TIMOR DOMINI *ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*, qui filialis TIMOR, & caſtus nuncupatur, & à Magiſtro (*vbi ſupra*) ſic deſcribitur; TIMOR caſtus, ſiue amicabilis eſt, quo timemus, ne ſponſus tardet, ne diſcedat, ne offendamus, ne eo careamus, quare, non immerito quidem, is, qui TIMORE hoc inſignitus eſt, LEPORI quieſcenti, quæ oculis dormit apertis, comparari poteſt. Eſt enim LEPVS animal quoddam omnibus notum, à celeritate dictum, quaſi leuipes, & ſemper panidum, quòd ſi à venatoribus inſequatur, montem petit, in quo ſaluatur; Hoc idem de eo, qui verè DEVM TIMET, dicendum eſt, nam; *In mandatis eius cupit nimis*; quare, etiam eius conſilia adimplere conatur, &

Fides timorem cauſat.

Timor ſeruilis imperfectus.

Timor initialis quid.

Charitas timore pellit.

Timor filialis, quid

Timor caſtus deſcribitur.

Lepus vnde dicitur.

658

bonis operibus iugiter ſtudet, *vt certam faciat vocationem ſuam*, nec vllum bonum opus prætermittit, quin illud exequatur; quare, etiam ſi ea omnia, quæ in mundo ſunt ei darentur, adhuc illum a bono opere cepto retrahere haud poſſent, quod ex illa parabola, quæ Math. 25. habetur, de quinque virginibus prudentibus, & de quinque fatuis, colligere poſſumus, quibus cum oleum eis deficeret, ad illas acceſſerunt, quas exorauere, vt eis paululum olei mutuarent, quo lucernas iam extinctas, in earum ſponſi aduentu, & ipſæ illi occurrere, eas q; accendere poſſent, & illum recipere, cui quidem petitioni, virgines prudentes annuere noluerunt, dicentes; *Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis; ite potius ad vendentes, & emite vobis*; ex qua reſponſione, nobis colligere licet, quanto ſtudio, DEI ſeruus, in DEI TIMORE viuere debet, & quantam tenetur adhibere diligentiam, ne aliquod bonum opus, ab eo ceptum, prætermittat, quamuis perexiguum ſit, ne à DOMINO ſuo corripiatur. Quæ ſanè veritas, ex D. Gregorij dubitatione ſuper hunc locum, magis eluceſcet, ſi eam in medium afferemus. Dubitat igitur S. Doctor, (nec primo aſpectu impropria videtur.) Cum parum olei illis fatuis virginibus ſufficeret (ait ille) ad Principem illum intra ianuam comitandum cur renuerunt illis date eo magis, quia prudentes, quæ vas oleo plenum habebant, fatuis ſubuenire poterant, quare paululum olei eis dare poterant. Amplius; charitatis officium præſtitiſſent prudentes, ſi fatuis in hac neceſſitate ſuccurriſſent. Ac demum, cum mulieres eſſent, & virgines, quibus vicos, & plateas, nocturno rempore, circuire non expediebat, ne earum pudicitia aliquod detrimentum peteretur, quare opus ſumma laude dignum præſtitiſſent prudentes, ſi fatuis egentibus opem tuliſſent. Has inquam obiectiones mouet moralis Doctor, quibus vnica reſponſione ſatisfacere poſſumus quæ à noſtro inſtituto aliena non videtur, DEI TIMOREM, quem Iuſtus habet, præclarè manifeſtans. Quamuis enim verus DEI ſeruus, vas oleo plenum, hoc eſt animam, omni virtutum, & meritorum genere exornatam, habeat, tamen, & hoc parum ei videtur, adeò quòd, nec olei guttam quidem, hoc eſt nullum opus, quamuis perexiguum prætermittere audet,

Parabola declaratio.

D. Greg. declarat dubitando.

Reſponſio ad dubitationes propoſitas.

det, ne CHRISTVM, animæ ſuæ ſponſum, offendat; nec ad aliter faciendum amicitia, ſeu conſanguinitas, nobilitasve, aut aliquid aliud mouere poteſt, adeò quod Iuſtus, qui DEVM TIMET, ſi vniuerſa, quæ ſunt creata, immo, & ea, quæ creare poſſet DEVS, ei darentur, adhuc a bono opere cępto, pro ipſius DEI honore, non deſiſteret, quod Regius Propheta innuere voluit, verbis illis Pſal. 73. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te, quid volui ſuper terram?* Quaſi diceret: Quid enim in cœlo eſt, quòd mihi cęlum eſſe poſſit, præter te, Domine mi, qui ſolus, cęlum meum es, in quo mea voluntas, ſuum cęlum tenet? Non enim cęlum pro me, cęlum eſt, niſi tu adſis, nam ſi cęlum, abſque Deo, dari poſſet, tunc cœlum magis noceret, quam nobis benefaceret, tunc enim omni bonitate, & pulchritudine priuaretur; Iuſtus igitur, quamuis cęlo ipſo dominaretur, ſi Deo priuatus eſſet, tunc cœlum pro eo, cœlum non eſſet, quare meritò dicere poteſt, *Quid mihi eſt in cęlo?* neque ſolum in cœlo, aliquid eſt, quod præter DEVM deſiderari poſſit, ſed neque in terra, vnde ſubdit; *Et à te, quid volui ſuper terram?* *A te*, ideſt præter te; & quod hoc verum ſit, Salomonem audiamus, qui experimento id didicerat: *Vidi cuncta quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* Eccleſ. primo. Cum igitur, nec in cœlo, nec in terra aliquid ſit præter DEVM, qui hominis Iuſti appetitum ſatiare poſſit, Regio Pſalte id teſtante, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, ſequitur quòd Iuſtus, qui iugiter DEI TIMOREM filialem in corde habet, a bonis operibus retrahi non poſſit, ſemper timens, ne CHRISTVS animæ ſuæ ſponſus, aut tardet, aut diſcedat, quare ſemper ſtudet, ne illum offendat, & veluti LEPVS dormiens, quæ oculos tenet apertos, eius COR VIGILAT ſemper.

Dauid de ſiderium

Deus ſolus Iuſtum ſatiare poteſt

Iuſti timor

Hoc inquam ſancto TIMORE, fidelis DEI ſeruus CAROLVS iugiter fuit exornatus (& eſt alter LAPILLVS, qui in eius REGIO DIADEMATE refulget) quippè qui, adhuc puer cum eſſet, puerilia prorſus abhorrens, totum ferè tempus in conficiendis altaribus, conſumebat. Adoleſcẽs factus, clericalem ſuſcepit habitũ, vt a mundi illecebris penitus ſe abdicaret, DEI TIMENS offenſã. CARDINALITIA

Carolus Dei timore inſignitus.

dignitate inſuper ab Auunculo decoratus, quamuis à multis hortaretur, vt ſacerdotia pinguiora peteret, & rei familiari, reditibusq; augendis ſtuderet, ipſe DEI TIMORE inſignitus, reſpondebat, ſe ſatis diuitem futurum, ſi DEVM TIMERET, & ſi noſſet illis vti, quæ ſua ſponte ab Auunculo, pro ſua benignitate, acceperat. Ad creandum Pontificem, eius Auunculo, iam vita functo, DEI TIMOREM præ oculis habens, nulla commodorum ſuorum ratione habita, illum creare ſtuduit, quem ſuo iudicio, maximam vtilitatem ad Eccleſiam redundare credidit, prout exitus comprobauit, ex PII V. electione, qui morum ſanctitate, & iuſtitia conſpicuus erat. Et vt vno verbo ea quæ ſentimus, etiam explicemus (& eſt ipſamet veritas) CAROLVS communem in omnibus ſuis operibus, ſpectans vtilitatem, DEI TIMOREM iugiter ante mentis oculis, ſibi propoſito, publica commoda priuatis antepoſuit ſemper, quare in eius REGIO DIADEMATE hunc alterum LAPILLVM, DEI TIMOREM videlicet, radiare, & eximium fulgorem emittere, cernimus.

Caroli reſponſio prudentiſsima

Carolus in creatione Pontificis Dei timoratus.

TER-

TERTIVS
LAPILLVS
Humilitas.

THEMA.

Qui ponit HVMILES in ſublimi.
Iacob. Cap. 1.

SYMBOLVM.

SPECVLVM concauum,& lucidum, quod Obiecta, quæ ſurſum ſunt, illa deorſum repræſentat, & è contrà.

NOEMA.

ELATIO DEORSVM.

DILVCIDATIO.

Beatitudo opus arduū eſt.

CVM cœleſtis Beatitudo, ad quam anhelamus; ſit quid excellentiſſimum, ac per conſequens, quid arduum; hinc fit, quòd ad eam aſſequendam, maximo labore opus eſt (paruo enim ſtudio, & ſudore, magnum præmium acquiri haud poteſt.) Hac quippe de cauſa, increata DEI ſapientia, Mat. 11. dixit; *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Virtutum conatu cœlum acquiri debet.

Quare virtutum exercitium ordinare debet fidelis homo, ſi illud aggredi, & poſſidere intendit, quarum omnium HVMILITAS eſt fundamentum, & baſis, quæ directè Diabolo aduerſario noſtro, ne cœlorum Regnū poſsideamus, contrariatur, qui in ſuperbiam elatus dicere eſt auſus, Iſai. 14 *In cælum conſcendam, ſimilis ero Altiſsimo.* Qua de cauſa e cœlo eiectus, in profundum inferni æternaliter damnatus eſt;

Diabolicra aduerſus hominem.

Qui cum de DEO ipſo vindictam ſumere non poſsit, hominē ſaltem, ad ipſius DEI imaginem plaſmatum, ſummo ſtudio, & inceſſabili cura proſequitur, nullum non mouet lapidem, nullamq́, viam relinquit intentatam, vt eius perditionem operetur, quòd ſuperbia potiſſimum (quæ ei propria eſt) id præſtare nititur, cum ab ea, vt Eccleſ. 10. habetur; *Initium ſit omnis peccati;*

Superbia initium omnis peccati.

quare vt eā declinemus, HVMILITATEMq́, ſectari debemus (quę ei contraria eſt) æterni Patris filium imitantes exemplū, qui carne hac noſtra indutus: HVMILIAVIT *ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem Crucis*, vt Phil. 2. hēt *Propter quod*, i. hac quippe de cauſa, quia videlicet: HVMILIAVIT ſe;

Humilitatē Chriſtus nos docuit.

DEVS *exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c. *& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus* CHRISTVS *in gloria eſt* DEI *patris.* Qui (prout in pręallegato THEMATE diximus) ponit HVMILES in ſublimi, quemadmodū SYMBOLVM a nobis propoſitū inconueniens nō eſt de SPECVLO concauo. Eſt aūt SPECVLVM,

Speculum quid ſit.

inſtrū quoddā ex vitro, chalybe, ſtanno, argentove cōpoſitū, intuentis imaginē vndequaq; repreſentans. At artificio, quodam SPECVLI genus efficitur,

Speculū concauū quid.

concauū, ſic ſabrefactū, vt ea, q̄ ſurſum habet obiecta, illa deorsū repreſētat, & ècotra, illa. n. quę deorsū ſunt, ſurſū oculis nr̄is obijcit.

Cum

Cum igitur in diuinæ eſſentiæ SPECVLO, in quo rerum omnium ideæ ſunt, HVMILIS, & ſuperbus ideam habeat (vterque enim ad DEI imaginem plaſmatus, pretioſo CHRISTI ſanguine redemptus eſt) ſequitur quod is, qui per ſuperbiam erigit ſe, deorſum, per gratiam priuationem, in inferno trudatur; prout ille, qui per HVMILITATEM deijcit ſe, ſurſum in cęlis, paratum habeat eius domicilium. Quòd D. Auguſt. in Pſal. 112. innuere voluit illis verbis; Videte fratres magnum miraculum, Altus eſt DEVS, erigis te, & fugit a te; humilias te, & venit ad te; Quare hoc? Quia in altis habitat, & humilia reſpicit in cęlo, & in terra. Quæ ſane ſententia adamuſſim SYMBOLVM, propoſito THEMATI aptatum, repreſentat, prout, & ipſum NOEMA declaratione non eget, nam vt egregiè B. Bern. ſer. 2. de Aſcenſ. Dom. ait, Sola eſt HVMILITAS, quæ exaltat, prout è contra; ſola ſuperbia eſt, quę deijcit; Quare cum CHRISTVS, qui per naturam diuinitatis (vt ſemet Bern. ait) non haberet, quo creſceret, vel aſcenderet (quia vltra DEVM nihil eſt) per deſcenſum, quomodo creſceret, inuenit; veniens incarnari, pati, mori; ne nos moreremur in æternum. *Propter quod*, DEVS *exaltauit illum*, quia reſurrexit, aſcēdit, ac ſedet ad dexteram DEI. Sic iuſtus, verus CHRISTI imitator, quanto magis à Deo per humilitatem, & deſpectum ſui, exit; tanto magis ad eū vadit, & reuertitur, cum ſcriptum ſit; HVMILEM *ſpiritu, ſuſcipiet gloria*. DEVS enim, qui vera gloria eſt, virum HVMILEM ad ſe ſuſcipit, honorat, & exaltat; & quemadmodum flumen de mari exit, & ad illud maiori aquarum copia, & abundantiori, quam exierat, reuertitur; Ita Sanctus vir, & humilis corde, à DEO per humilitatem exit, & quaſi flumē deorſum fluit, ſed cum maiori meritorum, virtutumq; abundantia, ad ipſum DEVM, quaſi ad infinitæ bonitatis, & ſanctitatis mare, reuertitur.

In Deo ſūt rerū omniū. — *D. Aug. ſententia pulcherrima.* — *Humilis à Deo exaltatur.* — *D. Bern.* — *Chriſtus p humilitatē aſcēdit.* — *Deus humilē ſuſcipit.* — *Simile de flumine.* — *Applicatio.*

Quanta HVMILITATE, DEI ſeruus bonus, & fidelis CAROLVS, quandiù nobiſcum conuerſatus eſt, floruerit, ex eo perſpicuum apparet, quòd non ſolum in corde, ſed & in ore, immo & in omnibus eius operibus HVMILIS ſemper extitit, qui Apoſtolorum Principis conſilium (ne dicam CHRISTI præcepta) adamuſſim adimplere ſtuduit

Carolus ſemper humilis.

 ſemper;

ſemper; *Subiecti eſtote* (Ita 1. Pet. 2) *omni humanæ creaturæ propter* DEVM, nam exaltat in cęlo eos, qui in hoc ſæculo veraciter fuerunt HVMILES. Quare, eum tres ſint HVMILITATIS gradus, quorum primus perfectus, perfectior alter, tertius verò perfectiſſimus; hoſce omnes B. CAROLVM in ſummo habuiſſe, mox videbimus. Ac primo; ſi perfectus HVMILITATIS gradus eſt, inferiorem ſuperiori, ſiuè in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus, obedire, iuxta Apoſtolicum præceptum Rom. 13. *Omnis anima, poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit*; hoc inquam HVMILITATIS ſignum, CAROLO Beato non defuiſſe certum eſt, qui non ſolum parentibus, dùm ſub eorum cura commoratus eſt, ſed & Eccleſiæ Prælatis, & potiſſimum Auunculo, dum CHRISTI vices in terris gerebat, ad quem negotiorum omnium ſummam bis in die, tanta humilitate referebat humilem ſe præſtitit ſemper. Perfectiorem HVMILITATIS gradum in ſummo habuiſſe CAROLVM, pro comperto habetur, & eſt, cum quis obedit, ſeu ſibi æquali ſe ſubijcit, iuxta Apoſtoli doctrinam Epheſ. 5. *Subiecti inuicem in timore* DOMINI; nam Veronam, cum Tridento rediret, in ea ciuitate, Regias fœminas, Ferdinandi Imperatoris filias, quæ Principibus Italiæ matrimonio iungendæ erant, Pontificis iuſſu, magna HVMILITATE excepit; immò millies, in Cardinalium, Tridentini Concilij interpretum, Congregatione, in qua ſemper ipſe fuit, virtutem hanc præclaram, manifeſtam reddidit; prout, & in Pontificis ſummi creatione, in eius Auunculi locum idem præſtitit, etenim, ne ob moram in ereando Pontifice, aliquod detrimentum Chriſtiana Reſpublica, pateretur, cum ſine eius conſenſu, & illorū, quos plurimos PIVS Auunculus, Cardinales creauerat, Pontifex creari non poſset; ipſe nulla priuatarum rerum ſuarum ratione babita (vt alias diximus (vt MICHAEL CARD. Alexandr. poſtea PIVS V. vir ſanctitate, & doctrina inſignis, in Pontificatu ſuccederet, cęteros Cardinales, maxima HVMILITATE exorauit. Denique tertio HVMILITATIS gradu perfectiſſimo, inſignitus fuit vir ſanctus, qui eſt, cum quis ſuo inferiori ſe ſubijcit, & boc propter DEVM, quę ſane HVMILITATIS gradum, excellentiſſimo modo CHRISTVS habuit, de

quo

Humilitatis gradus tres

Primus humilitatis gradus.

Carolus primum humilitatis gradū habuit

Secundus gradus.

Carolus ſecundo humilitatis gradu fuit exornatus.

Tertius gradus.

quo Luc. 11. *Et erat ſubditus illis, hoc eſt Ioſeph, & Mariæ matri ſuæ.* CHRISTVM inquam imitatus eſt CAROLVS, qui; licet à natura præclarum duxiſſet ingenium, tamen HVMILITATEM ſapientiæ matrem, certò ſciens; ob id piorum, & doctorum hominum contubernium ſemper habere voluit, & eorum ſententiæ, in rebus grauiſsimis, ſuam conformem habere non recuſauit, quippe qui, pro ſua modeſtia, & HVMILITATE inſigni, inter doctos nume rari noluit, nullam ſcientiam ſe tenere fatebatur, qui tamen ſcientiarum omnium principia, & præcipua etiam Theologię dogmata, & moralis etiam Philoſophi optimè tenebat, ita quòd nemo de quæſtionibus etiam difficillimis, maiore verborum facundia, loquebatur. Hiſce igitur HVMILITATIS gradibus exornatus CAROLVS, meritò eiuſdem INSIGNIA, HVMILITATIS præclaro nomine ipſo, decorari meruerunt, quæ quidem eximia virtus, tertius LAPILLVS eſt, qui in eius REGIO DIADEMATE refulget oculiſq; noſtris ſeſe offert.

Carolus tertio humilitatis gradu inſignitus.

Caroli inſignia humilitate deſiderata.

QVARTVS LAPILLVS

Spes.

THEMA.

DOMINE SPES mea à iuuentute mea. Pſal. 30.

SYMBOLVM.

ECHINVS piſcis, qui maris tempeſtatem præſentiens; calculo arrepto, illum tenet, ne fluctibus excutiatur.

NOEMA.

NVNQVAM DIVELLAR.

DILV-

DILVCIDATIO.

CVM nihil ſit, quòd æquè animum noſtrum (dum in hac præſenti vita, in qua, veluti in continua pugna verſamur) ad perferendum laborem, quã propoſita Regni cœleſtis SPES, (SPES, enim, & Timor, quaſi duo cordis noſtri cardines dicuntur, ſuper quibus tota ſpiritualis animæ noſtræ machina voluitur) quorum altero deficiente, tota ruet, ac deficiet; quemadmodum igitur Timor, vitæ noſtræ libertatem coercet, ſic SPES animum ad cęleſtia prȩmia appetenda erigit, & per conſequens, ad quoslibet labores perferẽdos, qui ad hunc finem ordinati ſunt. atque hinc eſt, quod dum viuimus, omne opus, licet perdifficile, & arduum, tolerabile, ac leue, nobis apparet, ſi ad illam beatam gloriam, quæ in cęlis nobis promittitur, attendimus. Eſt enim militia, vita hominis, prout Iob (qui experimento id didicerat) affirmauit, dicens; *Militia, eſt vita hominis ſuper terram.* Et alibi; *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto; donec veniat immutatio mea*, ideſt; donec ab hac corruptibili, & mortali vita ad immortalem, & incorruptibilem alterius vitæ ſtatum, perueniam, quare; ſicuti miles, SPE præmij, ſibi propoſiti, infinitos ferè militiæ ſuſtinet labores; ſic homo fidelis in præſenti vita, quaſi miles à DEO conſtitutus, cęleſtis beatitudinis, & futuri triumphi SPE, iugiter inſudat. Conceptum hunc, egregiè deſcripſit Apoſtol. Hebr. 6. qui Anchoræ Symbolo, SPEM, quam homo fidelis in DEO habere debet, delineauit, dicens; *Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam* SPEM, *quam ſicut Anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Non enim ſine magna dicendi proprietate, SPEM noſtram, Anchorȩ comparauit Apoſtolus| nam quemadmodum in medio tempeſtatis, cũ mare turbatur, eiusq; fluctus intumeſcunt, tunc prouidus nauta, Anchoram iacit, vt nauis tuta, & incolumis ſeruetur; ſic de Iuſti animo dicimus, cũ fluctuat, & tentationibus quatitur, laboribusq; concutitur, & penè tribulationum procellis obruitur, tunc ad SPEI Anchoram confugere ſolet, quam in loco tuto, ac firmo (in CHRISTO ſcilicet) collocat, qui natura ſua firmus eſt, ac immo-

Spes regni cæleſtis nos laborare facit.

Spes, & Timor neceſſary.

Militia vita hominis eſt.

Iuſtus veluti miles eſt.

Anchoræ ſimilis eſt.

Apoſt. cur Spem Anchoræ ſimilem eſſe dicat.

Iuſtus tribulatus ad Spē confugit.

immobilis. quare promiſsiones illas cœleſtes præ oculis habens Iuſtus in virtute conſtans, ac firmus, vſque ad finem perſeuerat. Ad hoc alludit D. Bonau. l. inſcripto Dieta Sal. tit. de virt. c. 4. qui virtutem hāc deſcribens ait, SPES eſt columna, domum firmans; galea, caput armans; Anchota, nauem ſeruans. Verum, vt SPES noſtra, veluti columna, & Anchota firma ſit, neceſſe eſt, vt in bonis operibus fundata ſit, quòd de ipſius SPEI eſſentia eſt, prout à Theol. in 3. Sent. ſancitum eſt. SPES eſt futuræ beatitudinis certa expectatio, ex DEI gratia, & meritis proueniens; nam SPES ſine meritis, præſumptio eſt, quare, vt in bonis operibus fundata ſit, opere pretium eſt, iuxta Regij Pſaltis dictum, Pſal. 36. *Spera in* DOMINO, *& fac bonitatem*, quibus verbis innuit, ſuper vitæ bonitatem, & ſuper merita SPEM noſtram fundari debere, & hanc à iuuentute noſtra habere tenemur, vt in aſſumptu THEMATE, & tunc, propoſitum SYMBOLVM verum apparet, de ECHINO piſce marino, ex cancrorum genere; qui etſi exiguus ſit, & vilis, tamen iuxta D. Ambroſij placitū hom. 5. in examer. cum procelloſam tempeſtatem præſentit, calculum validum arripit, quem tanquam Anchoram tenet, ne maris fluctibus excutiatur; quare, non in proprijs viribus ſtabilitur, neque in ſeipſo confidit, ſed alieno fulcitur auxilio. Quemlibet fidelem, piſcis nomine gaudere poſſe, Abacuc dixit cap. 1. his verbis; *Facies homines, quaſi piſces maris*, qui ſi SPEM firmam in DEO habet, fidelis homo tunc veluti ECHINVS eſt, calculum tenens, ne huius ſæculi fluctibus excutiatur, ita quòd, SPE in CHRISTO firmata, (qui Petra eſt, & lapis angularis) dicere poteſt, vt NOEMA habet; NVNQVAM DIVELLAR.

Spes deſcripta à D. Bonauē. data.

Spes in bonis operibus fundata eſſe debet.

Spes diffinitio à Theologis aſſignata.

Pſal. 36.

Echinus quid ſit.

De Echino D. Ambro. multa dicit.

Fideles, piſces nuncupantur.

Beatum CAROLVM, propter ſui humilitatem eximiam, (de qua ſuperius diximus) veluti piſciculum paruum in hoc mundi mari fuiſſe, liquidò conſtat; ipſe enim futuras præcauens tempeſtates, quas ſerui DEI in hoc mari magno, & ſpatioſo, patiuntur; SPEM ſuam in CHRISTO poſuit, qui calculus eſt, de quo Apocal. 2. habetur; *Dabo illi calculum candidum, & in calculo, nomen ſcriptum, cui adhæreamus fortiter, ne à tentationibus ſuperemur*; in eo inquàm, SPEM ſuam à iuuentute collocauerat,

Carolus tāquam piſcis paruulus.

Chriſtus calculus dicitur.

quam

quam per totum vitæ ſuæ ſpacium indefinenter, & abſq; vllo temporis interuallo retinuiſſe, non eſt cur dubitemus, promiſsi Abacuc 2. non immemor, dicentis; *Si moram feceris, expecta eum, nam veniens veniet, & non tardabit.* *Carolus ſemper in Chriſto ſperauit.*

Hinc eandem doctrinam populis ſæpè, ac ſæpius prædicabat, quos ad certam SPEM IN DEO habendam, & potiſsimum in tempore tribulationis, hortabatur. *Caroli prædicatio.* Multoties enim (ſic ipſe ſæpius edicebat) DEVS moram facere videtur, cum tamen non moretur, qui ſua ineffabili prouidentia, vt ſuo quoq; tempore auxilium cõferat, aptiorem expectat opportunitatem, qui non omni tempore (quamuis exoratus) eius dona hominibus in ſe confidentibus cõfert, ſed loco, & tempore; cum videlicet, eius gloria magis apparebit, nec non petentis vtilitas, quare, vt inceſſanter in DEO ſperarent fideles, eos erudiebat, quoniam in fine SPES noſtra conſiſtit, quare bene cœpta deſerere, ne deberent, eos docebat, illud Iſai. 40. ſæpe repetens; *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem aſſiment pennas, vt Aquilæ, volabunt, & non deficient,* ſeu vt ſeptuaginta interpr. legunt; Qui autem expectant eum. *70. Interpr.* Parum enim prodeſt (ſic fidelis DEI ſeruus CAROLVS clamabat ad populum) in via mandatorum DEI pennas ad volandũ aſſumere, ſi ſtatim illas dimittitis, & a volatu ceſſatis; perſeuerandum inquam eſt in omni iuſtitia, & virtute, vſque ad finem vitę, donec in vobis ſuperſit halitus, nec vnquam ab innocentia recedere, & vt operibus (quod ore dicebat) comprobaret CAROLVS Beatus, ſeq; non in mundo (qui mendax eſt,) ſed in ſolo CHRISTO SPEM ſuam poſuiſſe, omnibus manifeſtaret, delitias contempſiſſe certũ eſt, qui ſæpè D. Chryſoſtomi ſententiam hom. 16. in Act to. 3. repetebat. *Carolus exortat ad populum.* *Carolus mundum contemnit.* Præceps enim eſt locus delitiarum. Pulchritudinem non curauit, qui cum D Theodoreto dicebat; quod ſilens fraus eſset. *D. Chryſoſt. doctrina à Carolo percepta.* Diuitias paruifecit, qui ſæpius illud M. Tullij dictum pronuntiabat; quo abundantius habentur, eò feruentius cupiuntur. Familię propagationem non curauit, vna cum D. Cypriano dicens; Quid aliud eſt ſoboles, niſi curarum fons, & ſolicitudinum? qua de cauſa, poſt fratris ſui Pederici obitum, eiuſis quorundam hominum conſilijs, qui terrena ſolum, & carnali

nali prudentia præditi, vt, ad propagãdam familiam vxorem duceret, illum hortabantur, ipſe illico ad ſacrum presbyteratus ordinem promoueri voluit. Ac demum, non maieſtatem, & gloriam terrenam æſtimauit, quippe qui, illud Origenis dictum ſæpe pronunciabat; omnis terrena gloria in putredinem ſtercus conuertetur, qua de cauſa, maioris Pœnitentiarij munere, quòd amplum Romæ, & per honorificum eſt, ſe ſponte abdicauit, alioſq́; ſummos honores, & dignitates, quas in alma Vrbe, vti Summi Pontificis nepos, ei merito debebantur, cõtemnens, MEDIOLANENSIS Eccleſiæ ſponſæ deſiderium, cum diutius ferre non poſſet, ad eam acceſſit, omnem SPEM in ſolo DEO, & in CHRISTO eius filio, reponens, *In quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati & liberati ſumus;* Quare SPEI LAPILLVM pretioſum, in eius REGIO DIADEMATE radiare, omnibus perſpicuum eſt.

Carols deſiderium erga Mediolanenſes.



QVIN-

QVINTVS LAPILLVS.

Charitas.

THEMA.

Fortis eſt vt MORS DILECTIO; dura ſicut INFERNVS ÆMVLATIO.
Cant. 8.

SYMBOLVM.

AQVILA à DIPSADE ſerpente ſauciata.

NOEMA.

SEMPER ARDENTIVS.

1172

DILVCIDATIO.

Amoris effectus D. Auguſt. quid de amore ſenſerit.

INTER cęteras veri Amoris conditiones, hæc potiſſima eſt, quòd; Amor transformat amantẽ in rem a natam, ita quòd, qui verè diligit, non ſibimet viuit, ſed vbi amorem ſuum poſuit, D. Auguſtino teſte; Anima eſt magis vbi amat, quam vbi animat, qui poſtea, animam fidelem alloquendo, dixit: Attende anima, qui ? tu diligis; nam ſi terram diligis, terra es; ſi cœlum, aut DEVM, DEVS es, quam ſine veritatem D. Ioan comprobauit 1 Ioan 4 dicens; DEVS CHARITAS eſt, *& qui manet in* CHARITATE, *in* DEO *manet, &* DEVS *in eo*. Iuſtus igitur, cum DEI amore incenſus eſt, neminem timet, omnia ſuperat, ac vincit, quare meritò dicitur, vt in THEMATE, quòd; *Fortis eſt vt mors dilectio; dura ſicut infernus, æmulatio*. Hac quippe metaphora Spiritus Sanctus vſus eſt, dum morti, & inferno, CHARITATEM æquiparauit, vt ipſius dilectionis virtutem inuincibilem, manifeſtam redderet. Ac primò, oculis priuata mors eſt, ne pietatem, quæ in hominum aſpectu apparet, videat, ac per conſequens; eis compati nequeat. Auditu inſuper caret, ne afflictorum preces audiat, nulli ætati, ſexui, aut ſtatui parcens, quæ neminem pertimeſcit, nec aliquis eſt, qui eius poteſtati reſiſtere valeat. Dicitur autem, quòd Amor fortis eſt, vt mors, quia ſolus ipſe cũ morte contendere audet, nec timet in arenam cum illa deſcendere, qui tanta præſtat audacia, tantusq; viribus præditus eſt, quòd omnibus ſe offert periculis, ipſam contemnens mortem, quapropter vino comparatus eſt, vt Cant. 1 habetur, vbi legitur; *Meliora ſunt vbera tua vino*, vnde littera Hebrea habet; meliores ſunt amores tui ſuper vinum. Nec impropria eſt huiuſmodi ſimilitudo, nam; ſicuti vinum homini ebrio, fortitudinem præbet, & audaciam, ſic quem inebriat amor, ad quæcumq; ardua perferenda, illũ reddit audacem, vnde dilectionis vino hoc, inebriatus Apoſtolus; Rom 8. dixit; *Quis ergo nos ſeparabit à Charitate* CHRISTI? *tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* ac ſi diceret; Nihil horum certe aduerſus nos poterit præualere; ideò ſub-

Iuſti conſtantia.

Charitas cur morti, & inferno æquiparata.

Mortis deſcriptio.

Amor fortis vt mors, cur.

Amor vino cõparatus.

Apoſtoli cõſtantia.

dit

dit ibidem; *Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli*, &c. *poterit nos ſeparare à Charitate* Dei, *quæ eſt in* Christo *Ieſu Domino noſtro*. Quam ſane fortitudinem, à ſola Charitate habuiſſe, confeſſus eſt, quæ, quantum ex ſua parte eſt, inſuperabilis apparet, & ſicuti caſtrum inexpugnabile dicitur, quòd niſi per proditione intus exiſtentium amitti, & ſuperari poteſt, ſic Dei Charitas in nobis exiſtens, niſi per proditionem, inimico conſenſum noſtrum præſtantes, eam amittere poſſumus. Quemad modum, *Dura ſicut infernus æmulatio eſt*; Inſeparabilis vtique infernus dicitur, quia animam, quam ſemel recipit, illam nunquam reſtituit, vnde Iob 7. habetur; *Qui deſcendunt ad inferos, non aſcendunt*; Hoc idem de Dei amore dicendum eſt, qui quotieſcumque in corde hominis Iuſti, fixas habet radices, nunquam ab eo quãtum ſit ex ſe diuellit, quod manifeſtè ex lectione Hebrea colligitur, quæ habet; Dura ſicut infernus Charitas ardens; nec immeritò Charitas ardens, ſicut ignis, vocatur, nam; quemadmodum ignis, propter ſuam actiuitatem, omnia in ſuam naturam conuertit, ſic quando cor humanum Charitatis igne inflammatum eſt, ipſamet mala pœnæ, ſummopere diligit, & libenti animo ſuſtinet, maioraq; pro Dei amore pati optat, nec aquæ tribulationum, hunc dilectionis ignem, quo hominis Iuſti cor inflammatum eſt, extinguere valent ſicuti ignis iſte materialis ab aqua naturali extinguitur, quòd ex ſponſi verbis colligitur Cant. 8. dicentis, *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum* (ſponſam enim tunc alloquebatur) & ſubdit; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere*, Charitatem, *nec flumina obruent illam*, quæ verba Vatablus legit; Cuius carbones ſunt igniti à flamma Dei, & ad animam hominis Iuſti referuntur; quam aquæ plurimæ tribulationum, quem erga Deum amorem habet, extinguere nequeunt, etiam ſi ipſamet paſſionum, & ſuppliciorum flumina, eam inundarent. Quòd autem iſte dilectionis ignis in hac qualitate, ab igne materiali differat (quòd videlicet inextinguibilis ille, iſte verò extinguibilis ſit,) D. Theodoreti, & Ambroſij lectio ſuper ſupradictis verbis veritatem hanc manifeſtat, quæ habet; Lampades eius, alæ eius, alæ ignis, quibus verbis aſ-

Exemplū.

Amor infernο ſimilis

Charitas ardens vocatur.

Iuſtus pro Dei amore ultrò patitur.

Vatabli lectio.

Ignis amoris qualitas.

D. Ambroſij lectio.

ſerunt,

ſerunt, amoris alas, ex igne eſſe, cuius natura hæc eſt, vt nũquam extingui poſsit; & ſicuti naturalis ignis proprietas eſt, ſemper ſurſum tendere, ſic, qui DEVM ex corde diligit, cum nihil in mundo inuenire poſsit, quod eius appetitũ ſatiare queat; hinc eſt quod pro cordis affectu, ſemper ad cęleſtia anhelat, quare ſurſum mente, & cogitatione iugiter tendens, alas inſuper habere dicitur quibus citius ibi peruenire poteſt; ita D. Auguſt. teſtatum reliquit, his verbis; feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Et ſicuti AQVILA à DIPSADE ſerpente ſauciata (vt Naturales tradidere, & pro SYMBOLO ſuperius poſuimus) a maxima ſiti excruciata, aqua, quam ipſa bibit, in flammam ignis conuertitur, ita quod, vt NOEMA habet; SEMPER ARDENTIVS, bibere exoptat, a Dipſadis ſerpentis morſu illo, qui omnem conſumit humorem ſic effectum, ac ob id maximam inducit ſitim, vt Lucan. lib 9. aſſerit.

Verus Dei amator.

D. Aug.

Aquila ſauciata ſitit.

Hæc inquam omnia, quæ dicta ſunt, B. CAROLO aptari poſſe aſſerimus, qui veluti AQVILA generoſa, a myſtico ſerpente CHRISTO, in corde vulneratus, tanto amoris igne ſuccenſus eſt, quod omnes greſſus ſuos ſurſum dirigens, Solis cęleſtis radios, mirificè contemplari non deſtitit; quamuis igitur dilectus DEI ſeruus, tribulationum aquas biberet (quamdiù vixit) tamen SEMPER ARDENTIVS, eas bibere cupiebat, nam patiendi deſiderium in dies magis augebatur, qui voluntariè corpus proprium pro DEI amore affligebat, & quemadmodum mors, animam a carne ſeparat, ſic eius dilectio erga DEVM ipſum, ab illicito mundi amore, immo à ſeipſo ſeparabat, adeo q; Apoſtoli verba ad Galat. 2. repetere poterat; *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me* CHRISTVS. Non enim amplius CAROLI anima in proprio corpore viuebat, quæ tota in CHRISTO per dilectionẽ, commutata erat, quare merito dicere potuit; *Viuo iam non ego*, quia in CHRISTO, quem ex corde diligebat, ipſe viuebat, a quo viciſsim diligebatur, ac ob id, dicere poterat; *Viuit in me* CHRISTVS. Quod ſi de CHARITATE, quam erga proximum Beatus CAROLVS habuit, ſermo noſter ſit, adamuſsim D. Petri præceptum adimplere ſemper ſtuduit, dicentis; *Ante autẽ*

Carolus myſtica aquila.

Caroli anima tota in Chriſto erat

omnia

omnia mutuam in vobiſmetipſis CHARITATEM *continuam habentes*, quòd in toto vitæ ſuæ curriculo in omnibus manifeſtum reddidit, etenim; non ad horam proximum dilexit, ſed ſemper, & continuò; certò ſciens, hanc ſolam virtutem (quantum ad vſum) habere poſſe, cęteras verò non ſemper (non enim ſemper orare, ieiunare, & id genus alia, præſtare poteſt homo) immo etiam mortis ſuæ tempore CHARITATEM ſummam erga proximum manifeſtam reddidit (prout in toto vitæ ſuæ tempore præſtiterat) nam ad DEVM migraturus, hanc inquam comitem in cęli itinere habere curauit, qui ſuppellectilem ſuam, & non magnam pecuniæ ſummam, quæ in Oeconomi manu, tunc temporis erat, MEDIOLANI pauperibus, qui in illo magno hoſpitali piè aluntur, reliquit, nulla conſanguineorum ſuorum ratione, aut mentione habita, quandoquidem illos valdè diuites eſſe cognoſcebat. Pauperibus igitur, hoc eſt CHRISTO (cuius membra ipſi ſunt) à quo maximis theſauris fuerat ditatus, cui iam animam dicauerat, ſic ſuppellectilem, omniaq; bona ſua, reſtituenda cenſuit, ſciens, quod *qui miſeretur pauperi, fœneratur Domino*. Hanc igitur mercaturam in vitæ ſuæ exitu exercere voluit Sanctus vir; quare, CHARITATIS LAPILLVM pretioſum, inter permultos alios, quæ in eius REGIO DIADEMATE conſpiciuntur, fulgere cernimus.

Carolus proximum valdè dilexit.

Carolus omnia pauperibus erogauit.

Caroli mercatura in ſine vitæ.

G SEXTVS

SEXTVS LAPILLVS

Iuſtitia.

THEMA.

Pro IVSTITIA agonizare pro anima tua, & vſq; ad mortem certa pro IVSTITIA. Eccleſ. Cap. 4.

SYMBOLVM.

MANVS, ADAMANTEM duobus digitis tenens.

NOEMA:

SEMPER INCONCVSSVS.

DILV-

DILVCIDATIO.

PRIMI parentis Adæ peccatum (à quo tãquam a capite, & cauſa, cętera omnia peccata, & mala originem duxiſſe certum eſt) a Regio Pſalte, omnis iniuſtitia vocatum eſſe, perſpicuum eſt Pſal. 18. (Sic enim DEVM exorabat) *Vt non dominetur mei omnis iniuſtitia;* Quare temporis plenitudine adueniente, quo æternus Pater, vnigenitum ſuum filium (iuxta ęternum decretum) in hunc mundum miſit, (qui ſecundus Adam dictus eſt) per carnem hanc noſtram aſſumptam ipſe (inquam) omnem adimpleuit Iuſtitiam, ac potiſſimum, cum in Crucis ligno mortem ſuſtinuit; idcirco, ab eo omnis Iuſtitia, tanquam a capite, & cauſa, in quo omnes Iuſti ſunt, omnis Iuſtitia, & ſanctitas, quæ in omnibus Iuſtis reperitur, ab eo prouenisſe Apoſt. ad Rom. 5. teſtatum reliquit, dicens; *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius Iuſtitiam in omnes homines iuſtificationem vitæ, &c.* Quælibet ergo Iuſtitia, quæ in CHRISTI fidelibus reperitur, & quodcumq; meritum, Iuſtitiæ ſummæ participatio quædam eſt, & infiniti meriti CHRISTI, qui per baptiſmum, & cętera ſacramenta, nos ſui participes efficit, vt de ipſius Iuſtitia multo magis, quàm de noſtra gloriemur, vnde S. Leo Ser. 4. de Paſſ. ait; Non poſſit eſſe niſi gloria CHRISTI, cuiuslibet meritum Chriſtiani. Quæ ſanè CHRISTI Iuſtitia, omnem Iuſtitiam hominum, & Angelorum valde ſuperauit, immo ipſius DEI Iuſtitiam attigit, non ſolum, vt DEI filius (qui ipſamet æterni Patris Iuſtitia, prout & ipſamet ſapientia, & eſſentia erat) ſed etiam, vt homo, infinitam habuit Iuſtitiam, quæ ſoli CHRISTO (qui Deus, & homo erat) competere potuit, cuius gratia, & ſanctitas, etiam creata in eius anima infinita Iuſtitia ſuo modo fuit, vt egregiè docet D. Thom. 3 p. q. 7 art. 10 Verum duobus illis modis ſupradictis omiſſis, quibus IVSTITIA accipitur, vt D. Baſil. in com. ſuper Pſal. 7 habet, Angelorum Iuſtitia videlicet, & ipſiuſmet DEI, (quæ ineffabilis eſt, & inenarrabilis) de hominum Iuſtitia ſermonẽ habentes, quę in præſenti vita non poteſt, non eſſe imper-

Peccatum iniuſtitia dictum.

Chriſtus ſecũdus Adã omnem Iuſtitiam adimpleuit.

Chriſtus totius iuſtitiæ fons.

S. Leo.

Chriſti Iuſtitia maxima.

Chriſtus, vt homo, infinitam Iuſtitiam habuit.

Iuſtitia hominum imperfecta eſt.

 fecta,

fecta, & modica; tum propter carnis fragilitatem, & varias Diaboli tentationes, nec non ob varia impedimenta, quæ animum detinent, & aggrauant, ne toto conatu in DEVM feratur, cùm, quia culpis admixta eſt, & peccatis, etiam in ipſiſſimet viris iuſtis, vt D. Augu. lib. 2. de pec. rem. c. 13. docet, & eſt iuxta Iſaiæ vaticinium cap. 64. dicentis;

Iſaiæ dictũ declaratur.

Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Quaſi diceret; Fidelium iuſtitiæ, maculis ſunt admixtæ, ac peccatorum ſordibus, adeò quòd, nemo in præſenti vita inuenitur mundus, vt Iob 4. teſtatum reliquit dicens; *Neque infans vnius diei ſuper terram.*

Iuſtitia inæqualis in Iuſtis.

Hæc inquam IVSTITIA in hominibus iuſtis, æqualis non eſt, ſed alia maior, alia vero minor eſt, quare, neque DEVS, æqualem ab omnibus exigit iuſtitiam, vt perpulchrè D. Cyril. lib. 16 de adoratione in ſpiritu & veritate docet, ſed eam, quæ conſentanea fuerit vniuſcuiuſq; viribus, & quam quiſq; habet, & præſtare poteſt, exigit; prout ipſemet CHRISTVS Luc. 12. dixit; *Cui multum datum eſt, multum requiretur,* prout è contra dici poteſt; Cui minus datum eſt, minus requiretur ab eo, ita quòd, vt Regius Pſaltes dicebat; *Retribuet mihi* DOMINVS *ſecundum* IVSTITIAM *meam, & ſecundum puritatem manuum mearum;* non enim in omnibus Sanctis Petri, Pauli ſiue iuſtitia, neque in omnibus Io. Baptiſtę puritas, in-

Deus non æqualiter à Iuſtis iuſtitiam exigit

uenitur, ſed valde differens, quare DEVS iuſtus Iudex ab vnoquoq; iuſtitiam, & puritatem, ſecundum modum, & proportionem ſuæ virtutis, quam à Deo habuit, ipſe exiget, & iuxta eandem proportionem, vnicuique retribuet.

Iuſtitiæ deſcriptio.

Deſcribitur autem ſic IVSTITIA, quòd virtus ſit, reddens vnicuique ius ſuum, hoc eſt; DEO, obedientiam; ſuperiori, reuerentiam; pari, concordiam; inferiori, diſciplinam; inimicis, patientiam; miſeris, & afflictis, compaſſionem operoſam, & ſibi ſanctimoniam, & is, qui hæc præſtat, *Pro* IVSTITIA *agonizat, & vſq; ad mortem certat,* vt in THEMATE dicitur.

Carolus iuſtitiæ virtute decoratus.

Carolus Deo obediens.

Quonam modo; pro IVSTITIA glorioſus CHRISTI miles CAROLVS agonizauerit pro anima ſua, & vſque ad mortem certauerit pro IVSTITIA, ex ijs, quæ in vita præſtitit, manifeſtum apparet; DEO enim obediens fuit, qui illi parere maluit, quàm REGIS CATHOLICI miniſtris,

ſtris, quos animo forti, anathematis vinculo ligare, non pertimuit. Superiori reuerẽtiam dedit, nam Auunculum, cum quo in dies maxima Pontificatus negotia tractabat, ſumma reuerentia, & debito honore ſemper uenerari uoluit. Paribus concordiam manifeſtauit, dum ad creandum Pôtificem in Auunculi locum, nulla, commodorum ſuorum, habita ratione, quem ſupremæ dignitatis adiudicauit dignum, cęterorum fratrum conſenſum exquiſiuit. Subditis diſciplinam præſcripſit, multis Prouincialibus Concilijs, nec non tot tantisque Synodis Diœceſanis. Inimicos patientiam docuit, nam paruulo tormento, medio in tergo percuſſus, dùm orabat, immobilis permanſit. Miſeris copioſè ſuccurrit, maximè eo tempore, quo Mediolanensis populus epidimię morbo laborabat, cui, ut ſubueniret, propriam ſuppellectilem uendidit, ne dicam Principatum propriæ familiæ, & proprios reditus. Sanctitatem demum in ſe habuiſſe, ex eius operibus, luce meridiana clarior, apparet, quippe qui in nullam, uel minimam incontinentiæ ſuſpitionem incidit, qui maxime omnes peccandi occaſiones fugit, carnem ſuam ieiunijs, & cilicio domabat, & in dies magis in uirtutibus ſingulis, magnos faciebat progreſſus, ita quod, illud Iob dictum c. 29 & ipſe dicere potuit; Ivstitia *indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſtimento.* Hoc inquam ueſtimento, ueluti lorica indutus erat fortiſſimus Dei Athleta Carolvs, quo uſus eſt in carnis prælio, in quo continua pugna eſt, & rara uictoria, quare pro Ivstitia ſemper certauit uſque ad mortem, ita quod in hac præclara uirtute perſeuerans, ueluti Adamas in Manv Dei extitit, ut in Symbolo dictum eſt. De qua omnipotenti Manv illud Sap 3, adimpletur; Iuſtorum animę in Manv Dei ſunt; ipſe enim ſua potentiſſima Manv, nos fecit, & in eſſe naturæ, qua homines ſumus, & in eſſe gratiæ, qua iuſti ſumus, & filij Dei per gratiam adoptionis (quod perfectius Dei opus eſt) quemadmodum D. Aug. ſer 15. de uer Apoſt. ait; Opus Dei es, non ſolum, quia homo es, ſed etiam, quia Ivstvs es; melius eſt enim iuſtum eſſe, quàm te hominem eſſe. Hæc igitur Dei excelſa Manvs, Adamantem, hoc eſt hominem ivstvm tenet;

Carolus ſuperioribus obediuit.

Carolus cũ paribus concors fuit.

Carolus ſubditos erudiuit.

Carolus miſeris ſuccurrit.

Carolus cõtinens extitit.

Carolus Chriſti verus miles.

Deus nos fecit dupliciter.

D. Auguſt.

Iuſtum eſſe melius eſt, quà eſſe hominem.

 Dicuntur

Iuſti cur Adamãtes dicuntur

Adamas infracti animi ſignũ.

Dicuntur enim IVSTI ADAMANTES, propter eorum in laboribus tolerantiam, nam antiquitus, firmitatis, & infracti animi Hieroglyphicum ADAMAS erat, vt Pier. Valer. animaduertit, qui cum nullo inſtrumento, vel ferreo, vel æreo domari poſsit, ideò indomitus nuncupatur. IVSTVS igitur, qui in DEI MANV exiſtit, nullis laborum, calamitatumve ictibus concuti poteſt, qui viriliter ad omnia reſiſtit. ADAMANTEM hunc, CAROLVM Beatum, in MANV DEI extitiſſe, ob IVSTITIAE virtutem, quæ veluti pretioſum LAPILLVM in eius REGIO DIADEMATE fulgebat, ex ijs quæ diximus, liquido conſtat.

Carolus vt Iuſtis Adamas in manu Dei.



SEPTE

SEPTIMVS
LAPILLVS
Patientia.

THEMA.

Quoniam ab ipſo PATIENTIA mea. Pſal. 61.

SYMBOLVM.

LARYX lignum, quod IGNIS flammis reſiſtit.

NOEMA:

ILLÆSA SERVATVR.

6x2

Prædeſtinationis ſuæ nimo certus.

QVAMVIS ſuæ prædeſtinationis, abſque ſpeciali DEI reuelatione homo fidelis, dùm viuit, certus eſſe nequeat, cum ex ſola ipſius DEI voluntate pendeat; nonnulla tamen ſigna, Doctores Catholici aſſignare ſolent, quibus id conijcere poſſumus. Verum, cæteris omiſſis, quæ ad noſtrum non ſpectant inſtitutum, in aduerſis animi patientia, & in perſecutionibus tolerantia, non ſecundum obtinet locum, quę quidem PATIENTIAE virtus in his, qui ad ſupremam felicitatem præordinati ſunt, maximè radiare ſolet, nam, vt de Pœnit. diſt 2. ar 5. habetur; Aduerſites bonorum, non eſt ſignum reprobationis ipſorum, ſed magis virtutis, prout (ſic nos addere poſſumus) malorum proſperitas, reprobationis ſignum non leue eſt, quia; *In labore hominum ſunt, & cum iuſtis non flagellantur*; quòd à D. Greg lib 31 mor. cap 4. confirmatur, qui ſic habet; Nunc etenim flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur, quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur; quæ ſane veritas, Angelico comprobatur teſtimonio, vt Thob 12 legitur, qui cum occiſorum corpora ſepulturę tradidiſſet, quadam die in hoc pietatis opere admodum fatigatus, in domum ſuã cum veniſſet, ex nido hirundinum, dormienti illi, calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretq́; cęcus. Angelus DEI, qui lucem ei reſtituerat, dixit; *Quia acceptus eras DEO, neceſſe fuit, vt tentatio, probaret te*; Ex quibus verbis colligitur, quod pro bonis operibus, quæ iuſti faciunt, DEVS illos, tribulationibus affligit, in prædeſtinationis ſuæ ſignum, nam; *Quos diligit DEVS caſtigat*, & tribulatione corripit, quare ab Apoſto. Rom. 8. admonentur; *Quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. &; *Cum tribulamur à DOMINO corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*; eò magis, quia fidelis DEVS, non patitur, quòd aliquis vltra vires tribulationem patiatur; *ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*, ita 1. Cor. 10. teſtatum reliquit; nec quidem immeritò *Fidelis* dicitur Deus. Tunc enim aurifex, ſeu gemmarius fidelis dicitur, cum gemmam,

Prædeſtinationis ſigna

Patientia eſt prædeſtinationis ſignum.

D Greg.

Tribulatus à Deo dilectus.

Tribulatio non excedit vires noſtras.

Deus fidelis eſt.

gemmam, ſeù vas aureum, dùm illud ponderat, emptorem non decipit, ſed æquo pondere librat; prout & Medicus, qui ſecundum infirmi vires, medicinam ordinat, non ſolù de oncijs, ſed & de drachmis maximam curam habens, ne medicamentum, infirmi morbum excedat. *Exemplum de Aurifice.* Eodem quippe modo, diuinus ille aurifex, in lachrymarum diſtributione operatur, quæ veluti iocalia pretioſa ſunt, & tribulationes, tanquam pharmaca vtilia eſſe dicuntur, quæ iuſtis, & electis æquo pondere diſtribuit, nec aliquem decipit, nam in vno pondere, iuſti virtutem, & PATIENTIAM ponit, in alio verò tribulationem, quam ei dare intendit, atque ſic operatur, quòd tribulatio, nunquam tribulati vires excedit, quæ ſemper minor eſt, quod à Regio Pſalte, qui experimento id pluries didicerat, confirmatum eſt Pſal 79 illis verbis; *Potum dabis nobis in lachrymis in menſura*, quæ quidem menſura hæc eſt, videlicet, quòd non patitur aliquem tentari ſupra id, quòd tribulatus poteſt, quare tanquam iuſtus Iudex, gloriæ coronam iis, qui patienter tribulationes, & perſecutiones paſſi ſunt, dare intendit, quam, per PATIENTIAM, iuſtus, dùm tribulatur, acquirit; hanc inquam veritatem, Ioan Apoc. manifeſtauit illis verbis, dicens, *Ego Ioannes particeps in tribulatione, & Regno, & PATIENTIA in CHRISTO Ieſu*; nam tribulatio, quam patienter pro DEI amore, iuſtus ſuſtinet, eſt in cauſa, cur æternæ gloriæ Regnum de iure, ei debeatur, cum tribulatio, & Regnum idem ſint, quę ſanè tribulatio, ſi patienter ſuffertur, donum DEI eſt, Apoſtolo id teſtante, Philippenſes alloquendo, dicens; *In nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à DEO, quia vobis donatum eſt pro CHRISTO, non ſolum, vt in eum credatis, ſed vt etiàm pro illo patiamini, idem certamen habentes: In nullo terreamini*, ac ſi diceret, Timore ablato, quem inimici veſtri perſecutionibus mediantibus, vobis incutiunt, aliud malum vobis inferre haud poſſunt, & quòd illis cauſa eſt perditionis, vobis eſt cauſa ſalutis; *At hoc à DEO (ſubdit Apoſtol.) quia vobis donatum eſt*, quibus verbis, Tribulationes donum DEI vocat. Omnia enim dona, à DEO, ſeù à fonte perenni prouenire certum eſt, verum aliquot dona ſunt, quæ per excellentiam,

Appl catio.

Pſal 79.

Tribulatio de iure gloriã affert.

Apoſt.

Apoſt ſententia declaratur.

DEI

6 v 14-

Tribulatio ceteris donis Dei eminentior.

DEI dona, eſſe dicuntur, & ita tribulatio, DEI donum eſſe dicitur, quia cæteris donis eminentior eſt. Quamplures enim, ſigna ſumma admiratione digna (gratia gratis data mediante) fecerunt: Alij enim, cæcis reddidere lumen, infirmos ad ſanitatem reſtituere, immo & ipſos mortuos ad vitam reuocauerunt, qui tamen in die nouiſsimo, ad æternas pœnas damnabuntur, Verum ij, qui PATIENTIAE dono fuerunt inſigniti, cum qua, gratia iuſtificans ſemper adeſt (quæ DEI donum eſt) ob id, corona gloriæ in cælo præmiati erunt; Præterquam quod, gratiæ gratis datæ ſimpliciter, & omni ex parte a Deo proueniunt; totæ omnino DEI ſunt (ait D. Chryſ. hom. 4. ad Philipp. at gratia patiendi, DEI eſt, & noſtra, quare; illic debitor ſum (ait D. Chryſ.) hic verò debitorem habeo CHRISTVM; vnde Theophilatus in cap. 2. ad Philipp. hæc verba habet; O rem admiratione dignam, & donat mihi, & ſuper hoc debet mihi. Iuſtus igitur cum tribulatur, debitorem habet CHRISTVM, qui pro vno centum dat, dū huiuſce vitæ præſentis nundinæ exercentur, qui tribulationes, tribulationibus commutat, vt æternæ gloriæ theſaurus, quem iuſtus tribulatus acquirit, augeatur; Apoſtolo 2. Cor. 4. hoc teſtante; *Id enim quòd in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulatianis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Quod quidem tribulationis donum, ex ipſius CHRISTI meritis prouenire, certò ſcimus, prout ipſe Theophilatus aſſerit; Præmium ergo, & remuneratio CHRISTI laborum, labores noſtri, etenim; cum CHRISTVS, DEVS eſſet, & homo; ob id, eius opera, ab illa humanitate emanantia, deificata fuere, ac per conſequens infiniti valoris erant (nam actiones ſunt ſuppoſitorum, Philoſopho teſte) quæ quidem in Iuſtis tribulatis effluxere.

Gratia gratis data potest eſſe cū peccato.

Cum patientia virtute gratia iuſtificans eſt.

Gratia gratis data, tota à Deo eſt.

Iuſtus tribulat⁹ Chriſtum habet debitorem.

Tribulatio vndè prouenit.

Chriſti merita Iuſtis communicata.

Ex ſuperius dictis, colligere nobis licet, quanti valoris PATIENTIAE virtus eximia extiterit, quam in ſuſtinendis huiuſce mundi tribulationibus, ſemper manifeſtauit PATIENTISSIMVS DEI ſeruus CAROLVS, qui meritò, vt in aſſumpto THEMATE, dicere potuit; *Quoniam ab ipſo* PATIENTIA *mea*; Ipſe enim tanquam LARYX, tribulationum flammis, validiſſimè reſtitiſſe,

Carolus patientia dono inſignitus.

tiſse, perſpicuum eſt. De arbore hac Plin. lib. 16. ſuæ nat. hiſtor. refert, quòd igne non comburitur, quin potius in ignem proiecta, veluti ſi lapis eſset, eius flammis reſiſtere, quòd experimento Cæſar didicit; qui circa ciuitatem Gezgobium, turrim ex LARYCE confectam, in medio flammæ poſuiſse, nec vllum detrimētum recepiſse Cel. 6. lect. ant. refert. Beatus CAROLVS arbor hæc fuit, qui ſæpè, ac ſæpius tribulationum, ac perſecutionum igne circundatus, nunquam ab illis, aliquam paſsus eſt læſionem, quia CHRISTVM ſecum habebat, qui illum ab huiuſmodi flammis liberabat, iuxta Regij Pſaltis dictum; *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum*, adeò quòd tanquam LARYX, ILLAESVS ſeruatus eſt, vt NOEMA habet. Exemplis quamplurimis, veritas hæc comprobari poſset, non ſolum Federici fratris immaturam mortem ęquo animo ferens, nec non Auunculum Sum. Pont. morti proximum, abſque vllis lachrymis, immò hilari vultu confortans, ac demum mortem in ſeipſo conſtanti ſuſtinens animo; & id genus alia, ſed excelſi animi, & inuictę PATIENTIAE ſpecimen dedit, cum pro extirpandis vitijs, & DEI honore tuendo, tot, tantaſq; paſsus eſt perſecutiones, quare veluti alter Thomas Cantaur. ſeù tanquam alter AMBROSIVS, Eccleſiaſticam iuriſdictionem defendit, nec multorum voces, quibus ſæpè vir DEI lacerabatur, audiuit, quare PATIENTIAE, LAPILLVM in eius REGIO DIADEMATE radiare conſpicimus.

Laryx, & eius proprietas.

Carolus veluti Laryx fuit.

Caroli patientia exẽplis comprobata.

OCTAVVS LAPILLVS.

Prudentia.

T H E M A.

Beatus homo, qui inuenit Sapientiam, & qui affluit PRVDENTIA.
Prouer. 39.

S Y M B O L V M.

PERPENDICVLVM, quo Architectus in conſtruenda domo, vtitur.

N O E M A.

O M N I A Æ Q V A T.

DILVCIDATIO.

Diabolı neqıtia.

INTER permulta alia, quæ Demon, pater mendacij, hominibus falſo perſuadere ſtudet, hoc potiſsimum eſt, virtutem omnino inſipidam, & aſperam, vitia verò dulciſsima, & omnia prorſus voluptare plena eſſe, vt calliditate hac, homines à virtutis tramite territi, in voluptatis viam declinent, quam vberē, pulchram, & delitijs refertam, eis repræſentat, qua quidem ſuaſione adhibita, veluti eſca, illa vtitur ſæuiſsimus humani generis hoſtis, vt hominem ad peccatum trahat, quare, vt plurimum, a perfectionis via illum retrahit, illam iniucundam, inſipidam, & aſperam illi ſuadens, quæ quidem inſignis falſitas, luce meridiana clarior apparet ex hoc; etenim homo, virtute mediante, DEVM, qui vniuerſale bonum eſt, poſsidet, in quo tanta delectatio eſt, ac dulcedo, quòd eum eam deguſtaſsent Sancti, nec præ dulcedine illam capere poſsent, quaſi enatantes piſces in illo mari magno, intrauerunt in gaudium DOMINI ſui, adeò quòd Regius Propheta dicebat; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ* DOMINE, *quam abſcondiſti timentibus te*. Hac igitur dulcedine, à DEI electis deguſtata, huiuſce mundi ſpretis illecebris; *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV, contumeliam pati*; quare, vt vitiorum viam abhominantes, per virtutis ſemitam incedamus, quæ ſola ad finem ſupernaturalem nos perducit, Apoſtolorum Princeps ad PRVDENTIAM in cunctis noſtris operibus ſeruādam nos hortatur, dicens; *Eſtote* PRVDENTES, ideſt vobis prudentes, circa agenda per vos. Eſt enim PRVDENTIA, recta ratio agibilium, ſecundum Ariſt. 6. Ethic. vel (ſecundum eumdem 1. Reth.) eſt virtus mentis, qua de bonis, ac malis, quę ad fœlicitatem pertinent, benè poſſumus conſulere; ſed hanc, quæ bonis, ac malis indifferens eſt, ſilentio pertranſeuntes, de illa ſolum, quæ iuſtis hominibus conuenit, ſermonem habentes, iuxta D. Th. doctrinam. 2. 2. q. 47. ar. 13. dicimus, quod vera, & perfecta PRVDENTIA eſt, qua conſiliamur, iudicamus, & præcipimus, quæ ad bonū finē

Virtutis viam difficilem hortatur Diabolus.

Virtutis viā ſequutı ſunt ſancti.

Via virtutis nos ad cœlum perducit.

Prudentia quid ſit.

Prudentia Iuſtorum, qua.

totius

Prudentia triplex eſt ſecundũ D. Thomam. totius vitæ pertinent; verum triplicem eſſe Prudẽtiam, idem Doctor, loco ſupracitam docet; Prima falſa dicitur, & hanc mundani, & peccatores habent, qui media perueniendi ad ſuos fines adinuenire ſciunt, quare is, qui ad furandum conuenientem viam inuenire ſcit; bonus, ac prudens latro appellari ſolet, & hæc impropriè Prudentia nuncupatur, quam Apoſtolus Rom. 8. Prudentiam carnis vocat, dicens; *Prudentia carnis mors eſt.* Eſt, & alia Prudentia, quæ vera dicitur, ſed imperfecta, quæ tamen vias ſcit inuenire, ad bonum finem accõmodatas, verum quia finis ille, totius vitæ humanæ finis non eſt, ſed alicuius ſpecialis negotij, ideò, quamuis talis Prudentia bona ſit, non tamen perfecta dici poteſt, & de hac, illud Lucæ 16 intelligendum eſt; *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua,* quę ſanè prudentia, bonis, & malis communis eſt. Tertia PRVDENTIA dicitur vera, & perfecta, quam ſuperius, de mente Doctoris Angel. definiuimus, & de hac præaſſumptum THEMA intelligitur, nam *Beatus eſt*, qui hac affluit PRVDENTIA quippe qui, omnia eius opera, ad vltimum finem conſequendum dirigit, quare, PRVDENTIÆ virtute vtitur; tanquam PERPENDICVLO (vt in præallegato SYMBOLO habetur) quo mediante, omnia rectè ad ſalutem ſuam diſponit. Eſt autem PERPENDICVLVM inſtrumẽtum Fabri cementarij, quo plumbo à filo, & gnomone pendente, & rectitudo, ſeù obliquitas operis perpenditur, ideſt examinatur, adeo quod, ipſo mediante, Artifex OMNIA ÆQVAT. Hoc idem præſtat is, qui PRVDENTIAE virtute inſignitus eſt, quòd Prouerb. 11. a Salomone manifeſtatum eſt iis verbis, quibus nos ad PRVDENTIAM conſequendam hortatur, dicens: *Fili mi inclina cor tuum ad cognoſcendum PRVDENTIAM: Si enim inclinaueris cor tuum PRVDENTIAE, & quæſiueris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: Tunc intelliges timorem DOMINI, pariter Iuſtitiam, iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam.* Et alibi de PRVDENTIA loquens, dicit; *Melior eſt acquiſitio eius, negociatione auri primi, & puriſſimi. Fructus eius precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.*

Prudentia vera. *Prudentia perfecta.* *Perpendiculũ quid ſit.* *Prudentia eſt veluti Perpendiculum, Prouer. 11.*

Quan-

Carolus Prudentia virtute decoratus.

Quantam adhibuerit diligentiam prudentiſsimus CAROLVS, vt in omnibus operibus ab eo (quan diu vixit) patratis, virtus hæc niteret; tum ex iis, quæ ſuperius diximus, tum ex his, quæ infra dicenda ſunt, luce meridiana clarius apparere manifeſtum eſt; Ipſe enim doctrinæ Senecæ non immemor, qui lib. de quatuor virt. ſic ait; Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, Præſentia ordina, futura præuide, præterita recordare; nam, qui nihil de prǽterito cogitat, vitam perdidit, qui nihil de futuro præmeditatur, in omnibus incautus incedit.

Seneca quid de prudentia dicat.

Quo inquam modo præſentia ordinaret Beatus CAROLVS, ex hoc potiſsimum apparet, quod ſanctæ Sedis Apoſtolicæ negotia præcipua, & maxima tractabat, egregia fide, & ſingulari diligentia, dùm Auunculo viuente, Pontificatus onus ipſe ſuſtinebat. Principum legatos pariter audiebat, negotiorumq; omnium ſummam ad Summum Pontificem, bis in die referebat, neminem ipſe vnquam decepit, nunquam vllum pollicitationibus, & inani ſpe lactauit, & in illa florente ætate, in tanta rerum copia, blandientibus, & adulantibus quamplurimis, cum maxime tranſgredi poſset, non eſt tranſgreſsus. Singulas diei horas recte collocarenouit; ita vt, omnium virtutum exemplar extiterit, prout aliqua noctis pars, in optimarum literarum ſtudijs cum doctis, & pijs viris collocabatur, vnde & noctes Vaticanas appellari placuit, vt omnino incontinentię otium, & peccatorum omnium fomes toleretur.

Carolus præſentia ordinauit.

Futura inſuper præuidens prudentiſsimus DEI ſeruus CAROLVS, magnas opes habuit ſuſpectas, adeò quòd; non ſolum reditus Eccleſiaſticos, vltro ab Auunculo ſibi oblatos modeſtè recuſauit, ſed Abbatiam Cornu, ſanè vberem, in Pontificis manibus reſignauit, nonnullasq; alias, imo & Principatum vendidit, & pijs, eruditisq; hominibus ſponte ceſsit, quemadmodum & Abbatiam Aronę, quæ diù in eius domo permanſerat, cuius titulus ipſi commendatus fuerat, Summi Pontif. auctoritate, conſanguineisq; probantibus, Ieſuitarum Collegio vniendam curauit, permultaq; alia egregia opera, omni laude digna, quæ ad hanc PRVDENTIAE partem ſpectant, patrauit. Præteritorum deniq; non immemor Sanctus vir, vnici fratris

Carolus futura præuidebat.

Carolus præteritorũ nõ immemor.

mortem,

mortem, æquiſsimo animo cum tuliſset, illicò omni mœrore abiecto, ſeipſe colligẽs, fratris immaturam mortem, cohortationem a'd mortem perpetuò meditandam, & ad cęleſtem patriam quærendam, diuinitus ſibi factam, putauit, qui ab eo die, nulla de re, maiore cum animi ſenſu, loquebatur, quàm de morte, in qua nihil mali ineſse affirmabat, ſed peccandi terminum, & optabilem quandam ſecuritatem, mortem nominare conſueuerat, quare CHRISTI dictum Mat. 10. iugiter præ oculis habens, dicentis; *Eſtote* PRVDENTES, *ſicut ſerpentes*. Prudentiſsimus CAROLVS ſerpentis inſtar, qui caput pluſquam cętera corporis membra ſeruare conatur, quare alias partes ictibus exponit, modo caput, in quo eius vita potiſsimum conſiſtit, defendere nititur, ſic fidelis ſeruus, & PRVDENS, quem conſtituerat DOMINVS ſuper familiam ſuam; vt ipſius, nec non fidelium ſalus, pro viribus ſequeretur, omnia periculo exponantur, & deperdantur (ſic ipſe aſsiduè edicebat) diuitiarum iactura fiat, honor periclitetur, immò corpus ipſum mortem incurrat, modo anima ſeruetur incolumis. Hac igitur PRVDENTIAE virtute decoratus ſanctus vir, mirum non eſt, ſi LAPILLVM hunc pretioſum, inter alios quamplures, in eius REGIO DIADEMATE fulgere cernimus.

Carolus mortem meditatur.

Carolus ſerpentis prudentiã imitatur.

NONVS

NONVS LAPILLVS

Zelus.

THEMA.

Tabeſcere me fecit ZELVS tuus.
Pſal. 118.

SYMBOLVM.

FERRVM, quod à fornace, igne ſuccenſa, extrahitur.

NOEMA.

CANDESCIT, ET VRIT.

692

Zelus amoris effectus eſt.

QVONIAM ZELVS, amoris eſt effectus, vt egregie D. Thomas par. 2 q. 28 art. 4. docet, nam ex amoris intentione ZELVS procedit, etenim; quantò aliqua virtus intenſius tendit in aliquid fortius, tunc contrarium, vel repugnans repellit; Cum igitur amor (D. Auguſtino teſte) ſit quidam motus in amatum, hinc fit, quòd intenſus amor, excludere nititur, omne id, quod ſibi repugnat; quamuis aliter in amore amicitiæ, & aliter in concupiſcentiæ amore id contingat, nam qui intensè aliquid concupiſcit, contra omne illud mouetur, quòd conſecutioni, vel fruitioni quietæ, eius, quòd diligitur, repugnat; Quo inquàm modo, viri zelant vxores, quemadmodum, & ij, qui excellentiam quærunt, etenim contra eos mouentur, qui excellere videntur, quaſi eorum excellentiam impedire volentes, & is inuidiæ zelus dicitur, de quo Pſal. 36 habetur; *Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem*. Amicitiæ amor verò, amici bonum quærit, qui quando intenſus eſt, ſic operatur, quòd homo mouetur contra omne illud, quòd bono amici repugnat, & ſecundum hoc, aliquis pro amico zelare dicitur quando, ſi qua dicuntur, vel fiunt cōtra bonum amici, homo repellere nititur; per quem modum, homo Iuſtus, pro DEO zelare dicitur, quando ea, quæ contra ipſius DEI honorem, vel voluntatem ſunt, pro ſuo poſſe, repellere ſtudet, prout de Elia 3. Reg. 19. legitur, qui dixit; *ZELO zelatus ſum pro Domino DEO exercituum*, & illico rationem reddit, *Quia* (inquit) *dereliquerunt pactum DOMINI filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt* (DEVM enim alloquebatur) *& Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus*. Verum cum duplici in DEVM amore, ac dilectione feramur; ſic duplici ZELO erga eum, mouetur Iuſtus, quare; cum amore concupiſcentiæ DEVM diligit homo, tunc ea omnia odio proſequi tenetur, quæ ei impedimento ſunt, ne tantum aſſequatur bonum, eoque fruatur. Et in hoc ſenſu verba ipſius CHRISTI Luc. 12. ſunt intelligenda;

Amor duplex.

Amor concupiſcentiæ qualis.

Amor amicitiæ qualis.

Iuſtus quō Dei zelator eſt.

Iuſtus duplici zelo in Deum fertur.

Qui

Google

Verba Chriſti, quomodo intelligenda

Qui non odit patrem, & matrem adhuc, & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus, hoc eſt, quando tibi ſunt impedimento, quominus DEO inhærere poſſes, nam tunc temporis; & patrem, & matrem, & vxorem, & filios, imo & animam ipſam, odio habere debet homo. Verum enim vero, quoniam DEVM amore amicitiæ diligere debemus, ſic alio ZELO, in omnem DEI offenſam mouendi ſumus, eo inquam modo, quo Regius Pſaltes Pſal. 118. dixit: *Tabeſcere me fecit ZELVS tuus, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Tabeſcere me fecit ZELVS tuus*, vt in præaſſumpto THEMATE. Quo quidem ZELO accenſus Phinees, uidens unum de filijs Iſrael, qui intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, uirum ſcilicet & mulierem, in locis genitalibus, ut Num. 25. legitur, quare caſtitati populum reddidit (ut D. Gregor. homil. 16. in Ezech. ait) & iram DEI placauit. Simili ZELO accenſus Mathathias, cum Iudæum uideret Idolis ſacrificantem, doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius, ſecundum iudicium legis, & inſiliens, trucidauit illum ſuper aram, & zelatus eſt legem.

Quo zelare debemus ea quæ Dei ſunt

Zelus amicitiæ a charitate procedit.

Iſte autem ZELVS, quamuis mentem perturbare uideatur, tamen quia a charitate procedit, continuo ipſam reddit clariorem, quare non inconueniens eſt SYMBOLVM, ſuperius propoſitum, de FERRO ignito, a fornace igne ſuccenſa, mox extracto.

Ferri qualitates.

FERRVM enim ex natura ſua obſcurum eſt, & nigrum, at ſi in igne ponatur ingenti, & per aliquot temporis ſpatium ab eo non remoueatur, cum indè extrahitur, CANDESCIT, ac ſimul VRIT, ut NORMA habet.

Applicatio.

Eoſdem in et effectus in eo reperiri, qui DEI ZELVM habet, pro comperto habemus, etenim, uidens DEI offenſam, ad iram prouocatur, quæ uelut ignis, animum incendit, & hominis Iuſti uultum, quodam candore perfundit, & eodem temporis momento, ueluti ignis VRIT, & ea omnia, quæ ei obijciuntur, deſtruit, ac conſummit.

Carol. Dei Zelator.

Quonam Zelo erga Deum, Carolus Beatus eſſet incenſus, ex operibus ab eo, dùm huius lucis vſura fruebatur; patratis, perſpicuum apparet, quippe qui, veri Dei cultum, Eccleſiaſticamq; diſciplinam defeciſſe videns, totq; abuſus in Dei Eccleſia vigere, ſummo ſtudio curauit, vt Sacrum Concilium Tridentinum iamdiù cęptum abſolueretur, quòd ſub ipſius Auunculi Pontificatu, maxima animi ſui lętitia obtinuit, & ab eo tempore, vt ea, quæ in eo ſancita fuerant adamuſſim ſeruarentur, omnem adhibuit diligentiam, quare confirmato a Sum. Pontif. in primo Conciſtorio, poſt legatorum ad vrbem reditum, ipſo Concilio, quamplures controuerſias ex eius explicatione oriri debere præcauens, monuit deligendos eſſe Patres, qui doctrina, & dignitate excellerent, quorum interpretatione, omnis difficultas, quæ exoriri poſſet, tolleretur, quare ſacra Cardinalium Congregatio, Concilij Tridentini interpretum (in qua, & ipſe ſemper fuit) inſtituta eſt, quæ adhuc viget, & ex ea, etiam hodiernodie, Dei Eccleſiæ, quamplures proueniunt vtilitates; Verum paucis elapſis diebus, Mediolanenſis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ non immemor, viuente adhuc Auunculo Pontifice ſummis precibus ab eo impetrauit, vt ſibi liceret Mediolanum ad Concilium Prouintiale celebrandum, pro executione ipſius Concilij Tridentini, accedere, tantum Dei honorem, & morum reformationem zelabat, quòd & obtinuit, quare Prouintiæ ſuæ conuocatis coepiſcopis, necnon quamplurimis viris in Eccleſiaſtica diſciplina admodum verſatis, mira celeritate confecit, multasq; Synodos, immò, & alia Concilia Prouintialia habuit, quæ omnia typis excuſſa ſunt, vt in libro, qui Acta Mediolanensis Ecclesiae inſcriptus eſt, apparet, & hoc præſtitit tantum honoris Dei Zelator erat Carolus.

Carolus zelator ſponſæ ſuæ.

Caroli opera heroica.

Caroli prædicatio fructuoſa.

Silentio præterimus ſermones quos ad populum habuit, tam crebros, & fructuoſos, quibus peccatores, et oſtinati ad penitentiam conuerſi ſunt Studium parochiales Eccleſias viſitandi, tùm in ciuitate, tùm extra, q̄ incredibile fuit; prout & in ſtruenda Eccleſiaſtica diſciplina, laudabilem

quan-

quandam adhibuit ſeueritatem, adeo quod nonnulli conquerebantur, q; integri dies feſti in concionibus audiendis, & in proceſsionibus conſumebantur; & baccanalibus diebus in Eccleſia, muſica, & ſermonibus quibuſdam breuibus, iaculatoria quadam oratione, mentes in DEVM erigebantur, & tota plebs recreabatur. Seminaria quam plurima inſtituit; Expoſitis infantibus, & varijs morbis affectis, & mente captis, nec non, & ſenio confectis, virginibus fœminis ad earum tuendam honeſtatem prouidit, & illis quæ corruptæ eſsent, vt in viam poſsent redire, prouidit, & deuotis fœminis (quæ Capucinæ S. Praxedis nominantur) ipſe in MEDIOLANI ciuitatem prius introduxit; Viſitatores ſexaginta, & amplius delegit, qui ſuper gregem ſuum inuigilarent. Scholas puerorum permultas, quibus pueri in Chriſtianæ doctrinę rudimentis informarentur inſtituit, quas ipſemet frequentabat, & ſæpè ad illos paternos ſermones habebat: ſacramenta proprijs manibus miniſtrabat, controuerſias tollebat, animos pacificabat. Dei cultum, tum interiorem, tum exteriorem magna diligentia promouebat, & tanto *ZELO* (vt vno verbo multa dicamus) accenſus erat CAROLVS erga DEVM, q; nulli hominum generi, nulli ſexui, nulli ætati, nulli humanæ miſeriæ non conſultum eſse voluit, quare in eius REGIO DIADEMATE admodum *ZELVS*, veluti alter LAPILLVS, radiat.

Carolꝰ opera omni laude digna.

DECIMVS LAPILLVS.

Fortitudo.

THEMA.

FORTITVDO & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo.
Prouer. vlt.

SYMBOLVM.

MONOCEROS aduerſus canes, & venatores impauidos.

NOEMA.

QVID SI SANGVIS?

DILV-

DILVCIDATIO.

NATVRALEM beatitudinem, ſolius DEI propriam eſſe, vniuerſus Theologorum cętus affirmat, quare homines, qui ad DEI imaginem plaſmati ſunt, vt eam conſequantur, (cum naturaliter beatitudo eis non conueniat) hinc eſt, quòd magno cum labore, ac maxima difficultate eam cõſequi poſſunt; in hac ergo miſera, & laborioſa vita a DEO conſtituti ſumus, vt totis contendamus viribus, pro cęleſtis patriæ adeptione, quam laborantibus pollicitus eſt, deſidibus verò, & otio torpentibus, illam denegauit, nam; *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (ſic ipſamet increata veritas. Mat. 11. teſtatum reliquit) & hoc, non ſolum ratione ſuæ excellentiæ, ſed etiam ratione aduerſariorum; Propter eius excellentiã inquàm, nam, vt Apoſt. 1. Cor. 2. dixit; *Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit DEVS diligentibus ſe.* Quæ ſanè verba, ſic poſſunt intelligi. Quamuis omnia creata videamus hiſce oculis noſtris (hæc enim eſt prima menſura, qua vtitur) & tam ampla quòd quatuor mundi partes menſurat, omnia Regna, Prouincias, Ciuitates, oppida, & omne id quòd videri poteſt; montes, valles, campos, animalia, plantas, herbas, maria, homines, & omne demum, quod viſibile eſt; immò ipſius cęli planetas, & ſtellas, quæ nocturno tempore, cœlo ſereno apparent, oculus videt, tamen parua fuit menſura hæc; ideò ad aliam maiorem pertranſit, quę eſt; *Nec auris audiuit;* Auditu enim; non ſolum ea, quæ ſunt, ſed etiam quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, apprehendimus verum, neq; hæc ſufficiens fuit, quare, ad maximam progreſſus eſt, dicens; *neque in cor hominis aſcendit.* Corde enim, non ſolum ea, quæ ſunt, fuerunt, & futura ſunt, ſed omnia poſſibilia, immò etiam impoſſibilia, & quicquid mente concipere poſſumus complectitur, tamen longè maior eſt gloria illa cęleſtis, *quam DEVS promiſit diligentibus ſe,* de qua D. Aug. lib. de ciuit. Dei, cap. penulait; Quanta erit illa fęlicitas, in qua nullum inerit malum, nullum latebit bonum, vacabitur DEI laudibus, quod erit omnia in omnibus. Etiam propter

Deo ſoli beatitudo naturalis conuenit.

Cœlum vi acquiritur.

Beatitudo verbis exprimi nequit. Apoſtoli ſententia declaratur. Prima menſura beatitudinis.

Secunda menſura.

Tertia menſura.

D. Auguſt. quid de beatit. ſentiat.

69r

Cœlum cũ difficultate acquiri poteſt.

aduerſarios, cęlorum Regnum conſequi, admodum difficile eſt; ac primò. Ipſa caro, nobis iugiter aduerſatur, vnde Apoſtolus Rom. 7 querebatur dicens; *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ;* Mundus pariter nobis eſt contrarius; vt Ioan. in ſua Canon. ſcriptum reliquit dicens; *Quicquid eſt in mundo, aut concupiſcentia oculorum eſt, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ,* ſed omnium potentiſſimus Dæmon eſt, qui ſemper nobis aduerſatur, noſq; impedire ſtudet, ne talem victoriam conſequamur, & hac de cauſa Spiritus ſanctus nomine Behemoth Dæmonem Iob 4 vocauit, quod nomen iuxta D. Hieron. interpretationem, ſignificat; omnes deuorare cupientem; pro cuius veritatis expoſitione, ſubdit; *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in cor eius.* Iob 40. pro flumine hoc, quod abſorbet, Gloſa; infidelium multitudinem copioſam, exponit, *& non mirabitur,* idest nec ſatiatur, cuius ſitis magis augetur; *& habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius,* pro Iordane, numerum electorum, Gloſa ibidem interpretatur, qui in Iordane, hoc eſt in baptiſmatis lauacro regenerati, huiuſce mundi illecebris contemptis, ad cœleſtia, toto cordis affectu, anhelant. Cum igitur de animarum perditione, tantum ſit ſolicitus ſæuiſſimus iſte hoſtis, totis conatur viribus, vt nos impediat, ne cęlorum Regnum conſequamur, quare cum eo, iugiter dimicandum eſt, nam Apoſtolo teſte 2. Thim. 2. *Non coronabitur niſi, qui legitimè certauerit.* Ille etenim ſolus, cœli glorię aptus eſt, qui legitimè certat, inimicos ſuperat, carnem domat, mũdum vincit, diabolum fugat, eique fortis in fide, fortiter reſiſtit, & talis denique eſſe debet, quòd cum Pſal. 17. dicere poſſit; *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, non conuertar, donec deficiant,* vndè Ioannes Apocal. 7. vidit Sanctorum multitudinem palmas in manibus, in eximiæ victoriæ ab eis habitæ, præclarum ſignum, quo ſignificatur, illos maxima viciſſe diſcrimina, difficileſq; peperiſſe victorias. Hæc inquam ſunt bellorum genera, quibus fidelium Fortitudo conſpicua oſtendi poteſt, dum pro CHRISTI fide, fortes in bello pugnant cum antiquo ſerpente, vt coronam gloriæ accipiant, iuxta Apoſtoli

Diabolus, cur Behemoth vocatus.

Iob dictum explicatur.

Certãdum eſt cum inimicis.

Sancti, cur palmas habent in manibus.

con-

conſilium Thim. 2. qui vnumquemque fidelem ad pugnandum his verbis hortatur, dicens; *Labora ſicut bonus miles* CHRISTI. Ipſe enim animi fortitudine muncta, omnes Diaboli conatus, ſuperat. Eſt enim FORTITVDO, moralis virtus, medium conſtituens inter timorem, & audaciam, vt quando oportuerit, homo fidelis inimicum aggrediatur, & cum illo decertet; quando verò opus eſt, timore repreſſo, pro virtute pati, triſtiaque vſque ad mortem ſuſtinere, paratus ſit, qui nullo vincitur timore, aut dolore, vt virtutem deſerat. Cum igitur ad FORTITVDINEM (vt diximus) pertineat, ſuo tempore iram excitare ſecundum rationem contra inimicum, & animum roborare contra timorem, ne mali imminentis timore, homo faciat, quæ non decet, quis horum FORTITVDINIS actuum præexcellat, quidq; difficilius ſit D. Thom. 2. 2 quæſt. 123. egregiè explicat dicens, quòd, pro virtute pati, compreſſo timore, excellentior actus eſt, & difficilior, quàm inimicos aggredi, illosque ſuperare, quam ſanè veritatem etiam Ariſtot. cognouit, dicens, Ex hoc maximè quidam fortes dicuntur, quod triſtitia pro virtute ſuſtinere norunt, & a Salomone comprobata Prouerb. 16. *Melior eſt vir patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*. Ex quibus colligitur quidnam a ſuis militibus exigat CHRISTVS, vt corona gloriæ decorentur; opus enim eſt, vt ſanguinem fundant, mortem appetant, & diuerſa ſuppliciorum genera in proprio corpore experiantur, & quando opus eſt, omni timore penitus expulſo, inimicum aggredi præſto ſint.

Fortitudo quid ſit.

Fortitudinis duo actus.

Pro virtute pati magis eſt, quàm inimicos aggredi.

Prouer. 16.

Chriſtus quid a ſuis militibus exigat.

Quoniam modo prædicti duo FORTITVDINIS actus, in fortiſſimo CHRISTI Atletha CAROLO radiarent, ex præaſſumpto THEMATE nobis manifeſtatur, in cuius laudem, meritò dicimus, quòd FORTITVDO fuit eius indumentum, quare non incongruè (vt in SYMBOLO habetur) MONOCEROTI CAROLVM ſimilem eſſe diximus, quem in ipſius propriæ familiæ INSIGNIBVS in ſignum eius FORTITVDINIS conſpicimus. Eſt aũt MONOCEROS, ſeu VNICORNIS (q̄ idē eſt) animal ceruinũ habens càput, pedes elephanti, caudã apri, reliquo corpore, equo non diſſimili, vnicum media in fronte cornu gerentem, cubitorũ

Carolus fortitudine indutus erat.

Monoceros quid.

duo.

duorum onglitudine. Ita Plin.lib.11.cap.46 deſcribit; quod quidem animal aduerſus canes, immo, & ipſos venatores, ſemper impauidus eſt, quare aduerſus eos fortiter dimicando, dicere poteſt, vt NORMA habet; QVID SI SANGVIS? Hac quippe inuicti animi FORTITVDINE, CAROLVS præditus erat, qui ſæpè, ac ſæpius, Diabolum, eius tentationes ſuperando, vicit, ac de eo ſemper triumphauit, & veluti MONOCEROS validiſsimus, non ſolum à mundi potentatibus non potuit ſuperari, nam pro Eccleſiaſtica iuriſdictione tuenda, & pro extirpandis vitijs, proprium corpus, pluries morti expoſuit; ſed etiam ſeipſum millies vicit (& eſt alter FORTITVDINIS actus excellentior) dum corpus ab immunditia, & animam lethali reatu, ſeruare curauit adeò quod, in huiuſce vitę periculoſo certamine, cęleſti auxilio munitus, mirabilia, quæ eius animi fortitudinem inuincibilem declarauere, operatus eſt; ita quòd, pro virtute pati, ſemper fuit paratus, nec vllus vnquam timor, illum a bonis operibus retrahere potuit, propter quos FORTITVDINIS actus CAROLVS BEATVS *ridebit in die nouiſſimo*; non enim in primo die, quia dies ploratus eſt, vndè dicere potuit illud Sapien.7. *Primam vocem ſimilem omnibus, emiſi plorans;* non in medio, quia, dies incolatus eſt, vnde clamabat cum Dauide Pſal 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus eſt;* ſed in die nouiſsimo nam iocunditatis, & riſus dies eſt, quare cum Iob 8. dicere potuit; *Donec impleatur riſu os meum.* vndè FORTITVDINIS LAPILLVM in eius REGIO DIADEMATE admodum radiare, videmus.

Carolus primum fortitudinis actu habuit.

Carolus ſecundo fortitudinis actu exornatus.

VNDE-

VNDECIMVS LAPILLVS Puritas.

THEMA.

SVBSTANTIA mea apud te eſt. Pſal. 38.

SYMBOLVM.

FLVMEN, quod intrat in mare:

NOEMA.

PER OMNIA MVTATVR.

702

DILVCIDATIO.

Amoris eſſe-ctum.

PLATONIS ſententia eſt in Thimeó, dicentis, quod Amor, ſic Amantes vnit, vt vnum fieri exoptent, verum; ſi hoc effici poſſet, ſequeretur, quod alter eorum, aut vterq; corrumpi neceſſe eſſet, ad quod euitandum, ex intellectu, & uoluntate unionem hanc facit, quæ ab omni corruptione prorſus aliena eſt. Hac ſtante doctrina; cum DEVS infinito amore hominem proſequeretur, ſecum uniri deſiderauit, quare,

Dei deſiderium erga hominem.

Cum non ſit impoſſibile omne verbum, & omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra, hinc eſt, quod ſic homini uniri voluit, ut DEVS fieret homo, & homo fieret DEVS, Diuo Athan. teſte in Symbolo, & id tanta ſapientia præſtitit, quód neuter corruptus eſt, nec duæ illæ naturæ, diuina, uidelicet, & humana, in diuini ſuppoſiti unitate iunctæ, nec perſonæ diuerſæ, ſed unica perſona DEVS, & homo, CHRISTVS factus eſt, quód in temporis plenitudine peractum eſt, quando; *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. quaprópter liquidò conſtat, quomodo Amor in DEO fecit, quæcumq; uoluit, nam; *Sic* DEVS *dilexit mundum* (ideſt hominem) *vt vnigenitum filium ſuum daret* Ioan. 3. Quare filij DEI incarnatione peracta, extaſis in ipſo ſequuta eſt, quæ, vt D. Dionyſ. ait; amantem extra ſe, in amatum videlicet, transfert. Cum igitur clementiſſimus DEVS in nobis mutatus ſit, ſic nos in eum mutari, (nam; *qui adhæret* DEO, *vnus ſpiritus eſt*) dicit Apoſt. curare debemus: Ironicè enim, poſt primi hominis lapſum, DEVS dixit Geneſ. 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*, quaſi diceret; Quód impoſſibile erat attentaſti o Adam, ut fieres, quaſi unus ex nobis; at amor ineffabilis erga te meus in cauſa erit, vt ego fiam, ſicuti tu es, verus homo, ut tu DEVS efficiaris. Inter tot charitatis igneos globos, quaſi impoſſibile eſt, quód non accendatur fidelis anima, & per cordis munditiam (hæc enim ſola, nos Deo coniungit) Deo ex corde feruens, unus cum eo efficiatur. Eſt autem CORDIS MVNDITIA PVRITAS interioris animi, omnem abhorrens immunditiam, & peccati maculam, diuini amoris intuitu; ad quam habendam,

Christi natiuitas.

Extaſis quid ſit.

Dei verba explicantur.

Munditia cordis quid ſit.

oratio,

oratio, & meditatio potiſſimum requiruntur, quibus mediantibus, cordis munditia ſeruatur. Nihil enim in hoc mundo, humano corde mobilius eſt, vnde D. Auguſtinus ſuper Pſal 85 ait; Cor hominis, non inueniat obices, quibus retineat vagos ſuos motus, & a ſibi, ipſum DEVM alloquens, dixit; Feciſti nos DOMINE ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Voluntas igitur hæc noſtra (quæ cor noſtrum ſignificat) adeo mobilis eſt, quod (vt refert Vgo lib de clauſtro animæ) plura machinatur cor vno momento, quam omnes homines perficere poſſunt vno anno, quare ſi illam reddere volumus immobilem, per orationem, quæ eſt aſcenſus mentis in DEVM (in quo ſolum quieſcere poteſt) necnon per meditationem, ad memoriam potiſſimum reuocando ea, quæ CHRISTVS in cruce pro nobis pati voluit, vt nos a morte æterna liberaret, hoc inquam modo ſolum, cor noſtrum, ſeu voluntas noſtra firmari poteſt, & tunc digna erit ipſius CHRISTI habitatio, ab eo admodum exoptata, ideo quia ſi per peccatum a cordis habitatione eijciatur, denuo illic reuertitur, & ad ipſius cordis ianuam, diuinis inſpirationibus iugiter pulſat, vt aperiatur, vide Apoc 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Ego (inquam) qui ſum CHRISTVS verus DEI filius; Tu verò homo es infirmus, ac debilis, ob id, cordis tui oſtium mihi aperire debes, vt diuinæ gratiæ particeps efficiaris; *Ego* enim ſemper paratus ſum te adiuuare, tibique omnia chariſmatum dona conferre, quibus mediantibus, illam quam indirectè appetieras diuinitatem, modo illam feliciter conſequeris. Hiſce vocibus fideles iuſti annuentes, vna cum Pſ 107 reſpondent; *Paratum cor meum* DEVS, *paratum cor meum.* Paratum inquam eſt, per ipſius CORDIS PVRITATEM, quo præſtito, id quod in præaſſumpto THEMATE dictum eſt, & ipſe iterare poteſt; SVBSTANTIA *mea apud Te eſt.* Subſtantia hæc in homine iuſto, voluntas eius eſt, nam cętera cuncta perdere poteſt homo, hanc nequaquam, dùm viuit; Subſtantiam igitur hanc (hoc eſt iuſti voluntatem in DEO, qui MARE eſt infinitæ bonitatis) ipſe deponit, ideo dicit; *Apud Te eſt,* id eſt in tua manu eſt poſita, quare; quicquid pro libito tibi placet, & ego id præſtare inten-

D. Auguſt.

Cordis mobilitas.

Vgo.

Oratio quid ſit.

Cor noſtrum quomodo firmatur.

Chriſti deſiderium ſalutis noſtræ.

Quod pro ſubſtantia ſit intelligendum.

7814

intendo, & tunc Apoſtoli ſententia, quam ſuperius adduximus, adimpletur, dicentis; *Qui adhæret* DEO *vnus ſpiritus eſt*, quare veluti FLVMEN, quod ſine vllo impedimento ad mare defluit (vt in SYMBOLO) tunc PER OMNIA MVTATVR, vt NOEMA habet. Nam dum in ſuo proprio loco FLVMEN labitur, in continuo motu eſt, deorſum fluit, & vno fluctu conſumpto, alter illico conſurgit, at in mari recepto; locum, motum, ſaporem, & omnes commutat qualitates, ita quòd PER OMNIA MVTATVR. Hoc idem de cuiuslibet Iuſti voluntate dicendũ eſt, qui tanquam FLVMEN, ab illo diuinæ bonitatis immenſo pelago proceſſit, de quo Eccleſ. 1. habetur, *Omnia* FLVMINA *intrant in* MARE, *&* MARE *non redundat*; Dum enim voluntas in manu noſtra eſt, veluti FLVMEN ſe habet, quod in proprio ſuo loco deorſum fluit, etenim poſt vnam cogitationem, inſurgit altera, nec vnquam quieſcit, verum ſi à diuinæ bonitatis MARI immenſo abſorbeatur, tunc nec locum, nec motũ alium habet, qui à DEI voluntate diſſentire queat.

Fluminis natura.

Iuſtus tanquam flumen

Quemadmodum de B. CAROLO, ab ipſo DEO, per illius CORDIS PVRITATEM, valde dilecto, dicere poſſumus, qui ad eam conſequendam, nõ ſolum orationis, & meditationis (vt diximus) frequentiſſimum habuit vſum, ſed ea omnia, quæ ad CORDIS PVRITATEM habendam, & conſeruandam neceſſe erant, adhibuiſſe certum eſt. Aqua ſordes tollit, eò magis ſi ſit calida; & CAROLVS Beatus, ſæpe, ac ſæpius aqua lachrymarum, quæ ex ipſius CORDIS deuotione emanabat, illas leues maculas, quæ aliquando eius COR polluebant (nam ſepties in die cadit Iuſtus) illas tergebat, D. Chryſ. ſententiæ non immemor in tract. de pœn. dicentis; Sordentem animæ veſtem lachrymæ lauant, & dant illis remiſſionis candorem. Qui inſuper maxima lachrymarum effuſione, dum MEDIOLANENSIS populus epidimiæ morbo lethali laborabat, DEVM (vt ita dicam) ad ignoſcendũ coegit, nam iuxta D. Hier. in Iſai. placitũ, Oratio DEVM lenit, & lachryma cogit, quare eius precibus, & lachrymis, placatus DEVS, cum Pſal. 29 dicere potuit; *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi* Virtutem procul pellendi nebulas, ventus habet, & cœlum reddendi

Caroli cordis puritas maxima.

Carolus ad conſeruãdã cordis puritatem, multa adhibet remedia

Aqua lachrymarũ cor lauat Carolus.

Vento Spiritus ſãcti cor purgat Carolus.

dendi ſerenum; neque Spiritus S. ventus, Carolo defuit, ad eius Cor mundandum, nam ſic effecit, vt quælibet affectionis terrenæ nebulæ, ab eius corde, prorſus fuerint ablatæ, quare cum Iob 6 dicere potuit: *Abſtulit quaſi ventus, omne deſiderium meum*; adeò quod eius mentis cęlum, ſe uper ſerenum fuit. Ignis, vt aurum ab aurichalcho ſeparet, vim habet expurgatiuam; ſic tribulationum ignis, cordis Caroli aurum, à cunctis vanis cogitationibus expurgatum tenuit, nam vt Salomon ait; *Sicut igne probatur aurum in fornace, ita corda probat* Dominvs. Scopa domum a pulvere verrit, & Sanctus vir, ſæpè propriæ conſcientiæ domum, confeſſionis ſcopa expurgabat, D. Io. ſententiæ non immemor; *Si confiteamur peccata noſtra,* Devs *fidelis eſt, & Iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ventilabro, granum à paleis repurgatur, ſic fidelis Dei ſeruus Carolvs, omnes iniurias, & contumelias, quibus interdum lacerabatur, inuicta Patientia ſuſtinuit ſemper Apoſtolicæ doctrinę memor; *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis repromiſſionem* Sacramentorum collyrijs, quę oculorum morbum ſanant, & ipſe Carolvs vtebatur, quibus animæ oculos, à quauis peccati macula purgabit. Eleemoſinę ſaponem non pręteruiſit, vir Dei quo meditante, animam a cupiditatis luto liberabat, nam; & dũ uiuebat, & in morte, facultates ſuas pauperibus erogauit, nec non populum ſępe hortabatur ad eam faciendam illis verbis; *Date eleemoſinam, & omnia munda erunt nobis* Tandem fidei lux ei non defuit, per quam, cor ab omnibus errorum tenebris expurgatur, vt Act. 15 habetur, *Fide purgans corda eorum*, nam fidem veram, & viuam habuiſſe, (vt ſuo loco diximus) certum eſt. His inquam remedijs adhibitis, nec non permultis alijs, quibus cor fugax, & mobile cum eſſet, illud reddidit immobile, mortis memoria videlicet, futura ſpe cęleſtis beatitudinis, & id genus alia, Cordis Pvritatem ſecum habere ſtuduit ſemper Beatus vir Carolvs; quare, inuentus ſine macula, meritò Pvritatis Lapillvm, qui in eius Regio Diademate lucet, admiratione dignum eſſe fatemur.

Igne tribulationum cor expurgat Carolus.

Scopa confeſſionum cor verrit Carolus.

Ventilabro patiẽtia cor mũdat Carolus.

Collyrio ſacramentorũ Carolus cor purgat.

Sapone eleemoſinæ cor ſuum lauat Carolus.

Luce fidei cor ſuum illuminat Carolus.

DVO-

706

DVODECIMVS LAPILLVS.

Meditatio.

THEMA.

Faſciculus MYRRHÆ DILECTVS meus mihi; inter vbera mea commorabitur. Cantic. 1.

SYMBOLVM.

CARTA NAVTICA, quæ vtuntur ij, qui nauigant MARE.

NOEMA.

IVGITER PRÆ OCVLIS.

DILV-

DILVCIDATIO.

EXIMIA CHRISTI DOMINI opera fuiſſe, & exquiſita, quæ pro noſtra ſalute, toto vitæ ſuę tempore, quo in hoc mundo nobiſcum conuerſatus eſt, præſtitit, etiam ij, qui mediocriter in Sacra Scriptura verſati ſunt, certò ſciunt, *Chriſti opera eximia.*
Verum enimuerò, inter omnia illa, paſſionis opus maximum, & ineffabile, non ſecundum ſibi vēdicare locum, omnibus perſpicuum eſt, vnde D. Leo Serm. 11. de Paſſ. ait; Contemplationem mentis noſtræ magis oblectat, & ſuperat; *Chriſti paſſio opus maximum.*
In quo ſane eximio pietatis opere, ita perfectè ſuam erga nos exhibuit dilectionem, vt nihil amplius haberet, quod pręſtare, aut debuiſſet, aut poſſet, propter nimiam ſuam charitatem, qua dilexit nos, de qua D. Bernar. Serm. quodam de paſſ. Domini, ait; Verè nimiam, quia, & menſuram excedit, modum ſuperat, planè ſupereminens vniuerſis: *Chriſti dilectio erga nos eximia. D. Bern.*
Adeo quod, nullum eſt inter CHRISTI opera, quod ita nobis eum reddat amabilem, magiſq; ei debeamus, ſicuti eſt paſſionis opus, quam pro noſtra ſalute pati dignatus eſt, quare, vt aliqua ex parte, pares ei referre poſſimus gratias, nunquam à memoria noſtra immenſæ charitatis opus hoc eximium, excidere debet; ſumma enim eſſet hominis ingratitudo, ſi tam ineffabile beneficium, obliuioni traderet, eò magis, quod paſſionis memoriam recolentes fideles, in ea malorum omnium remedium ſalutare, & efficax inuenimus, vnde 1. Petr. 4. habetur; CHRISTO *igitur in carne paſſo, vos eadem cogitatione armamini.* *Memoriam habere debemus paſſionis Chriſti.*
Eſt enim remedium ſalutare contra tentationem, CHRISTI paſſio, quare meritò anima fidelis ſponſi ſui mortem acerbiſſimam, deplorando, ac meditando, præaſſumpti THEMATIS verba dicere poteſt; FASCICVLVS MYRRHAE DILECTVS meus mihi, & ſicuti MYRRHA a corruptione præſeruat, ſic paſſionis CHRISTI meditatio, animam fidelem a peccato curat, & defendit; nam ſi ſuperbiæ tentatione vexatur homo, CHRISTI humilitatem in paſſione contemplari poteſt: qui humiliauit ſe vſque ad mortem. Si deliciarum; ad memoriam reuocare debet eius immenſos dolores in paſſione paſſos. *Meditatio paſſ. Chriſti valdè vtilis.*

Si auaritiæ; nudum illum conſpiciet, in Crucis ligno confixum, qui campos, & lilia agri veſtiebat. Si inobedientiæ; eius obedientiam videbit, qui factus eſt obediens vſq; ad mortem, & denique, pro omni tentatione, quam Diabolus in cor hominis immittere ſtudet, CHRISTI paſſio, cordis oculis deuotè meditata, ad eas penitus euellendas, remedium valde efficax eſt, prout D. Hieron. teſtatum reliquit, dicens ſe remedium inueniſſe ad omnem Diaboli ſuggeſtionem, ad vniuerſas ſerpentis tentationes, carniſq; illecebras prorſus tollendas, CHRISTI paſſionem piè meditari, quare huc anima fidelis, ne vincatur accedere debet. Quod ſi per prauam voluntatem (& eſt aliud remediũ, quod ex CHRISTI crucifixi meditatione colligitur) peccato quis conſenſit, & à Diabolo victus fuit, vt a peccato reſiliat, ſi crucifixi paſſionem præ mentis oculis habuerit, illicò vulnus graue, a peccato inflictum, cognoſcet; vnde D. Bernar. ait; Filius DEI iubetur occidi, vt vulneribus meis, pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur, nam in CHRISTI paſſione deuotè meditata, ipſius peccati fœditas, eiuſq; malitia manifeſte apparet: Eſt enim ſpeculum ſine macula CHRISTVS, vt DEVS, qui æterni patris eſt expreſſa imago bonitatis illius, & quemadmodum in ſpeculo: Si ei multa obijciantur obiecta, omnium ſimilitudines in eo conſpiciuntur: ſic in CHRISTO, omnium peccaturum ſimilitudines reſultauere, qui in ſimilitudinē carnis peccati formatus eſt, quare peccatoris imagine ſumpta, diuina in eum adeò exarſit ira, quòd eum in acerbiſsimam mortem dedit, quare ſi CHRISTO, qui carnis peccati tantum habebat imaginem (nam etiam quoad aſſumptam carnem, per naturam erat impeccabilis, & in primo inſtanti conceptionis ſuę beatus) at *in ſimilitudinem carnis peccati factus, & habitu inuentus, vt homo*, quia peccati imaginem habebat: tot paſſus eſt ſupplicia quid de homine erit, qui tot ac tanta patratus eſt delicta? At, cum homo peccati fęditatem cognoſcens, ac periculum proximum, quod ei imminet; pœnitens factus, ſtatim atque CHRISTI paſſionem, pia meditatione, contemplatur, illico ei lux redditur, peccatoque ſuo medicina paratur. Tandem, eſt & aliud remedium, quod CHRISTI paſſio, ab

D. Hieron.

Christi paſſio meditata peccatũ expellit.

D. Bernar.

Christus ſpeculum.

Christus peccati imaginem ſolam habebat.

Argumentum à minori ad maius.

ab anima fideli deuotè meditata ei affert, quæ in omni tribulatione, conſolatio maxima eſſe ſolet. *Vt non fatigemini animis veſtris deficientes* (ſic Apoſt. Hebr. 12 alloquebatur) *& curramus ad propoſitum certamen, aſpicientes in authorem fidei, recogitantes eum, qui talia ſuſtinuit.* Omnium igitur malorum noſtrorum ſalutaris medicina eſt CHRISTI paſsio, ab anima fideli deuotè contemplata; quare, inter animæ noſtræ vbera, iugi memoria, eam retinere debemus, & tunc erit nobis veluti CARTA NAVTICA, vt in SYMBOLO propoſuimus, quam in hoc periculoſo mari huiuſce mundi, habere debemus (& vt NOEMA habet) IVGITER PRAE OCVLIS, id eſt, per meditationem, CHRISTI paſsio a nobis habenda eſt.

Chriſti paſſum meditari, tribulates conſolatur.

Chriſti paſſio omnium malorũ medicina.

Quemadmodum ad id præſtandum, B CAROLI exemplo, vnuſquiſque prouocatur, qui CHRISTI dilecti ſui pęnas, inter cordis ſui vbera, per meditationem, ſemper portauit, non ſolum propriam ſuam carnem, cilicijs, diſciplinis, ac ieiunijs domando (qui tres annos antequam ex hac vita migraret, pane & aqua ſæpè contentus erat) ſed crebris MEDITATIONIBVS, & aſsiduis orationibus, in quibus diutiſsimè verſabatur, & maximè mortis ſuæ tempore, quod erat ad id maximè accommodatum, ſemper ſe dedit; pręterquam quod, ſingulis diebus in oratorio, quod in ædibus Epiſcopalibus ædificandum curauerat, poſtquam cęnatum eſſet, litaniæ dicebantur, deinde ſermones aliquot fiebant, & ipſe omnium poſtremus, dicere aliquid ſæpè conſueuerat, quo in loco, ipſemet Epiſtolas, quæ diebus feſtis recitabantur, explicabat, ac demum ſancta meditatione, orationi finem imponebat. Sacris item peregrinationibus vir DEI admodum delectatus eſt, quare, non ſolum ad ſanctum linteum venerandum, quo Saluatoris noſtri corpus glorioſum, inuolutum fuit, Taurinum non ſemel (pedibus etiam aliquando iter agens) profectus eſt, ſed quamplura alia ſancta itinera fecit, & extremũ illud, quod morti proximus Beatus vir ſuſcepit, nam in monte VARALLO, antequam ex hac vita migraret, ſacroſanctæ paſsionis CHRISTI myſterijs, quadraginta horarum ſpatio, genuflexus, meditari voluit, quo tempore potiſsimũ, id quod in aſſumpto THEMATE propoſuimus, adimple-

Carolus iugiter Chriſti paſſionẽ meditabatur.

Carolus morte proximus Chriſti paſſionis nõ obliuiſcitur.

Caroli peregrinationes variæ.

 tum

tum eſt, vt in longo itinere, quòd paucis ab hinc horis ſuſcipere debebat CHRISTVM, & hunc crucifixum, in corde iam impreſſum, comitem haberet, in cuius auribus illa verba inſonabant, *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum*, quare merito, in illo vitæ ſuę proximo termino, dicere potuit; *Faſciculus MYRRHAE dilectus meus mihi; inter*

Carolus tribus animæ potẽtijs Christi paſſionẽ meditabatur.

VBERA mea commorabitur, quod, & præſtitit, donec ſpiritum ipſi CHRISTO, eius DILECTO, reddidit; quippe, qui animæ ſuæ VBERA, ideſt tres potentias, ad ipſius CHRISTI paſſionem me recolendam, pia MEDITATIONE, conuertit. Memoria enim, crucifixi tormenta, pro ſalute ſua paſſa, retinebat, ita quod, cum Reg. Pſal. dicebat; *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*. Intellectu pariter, per veram fidem, ad CHRISTVM in cruce poſitũ, (vt cordis dolorem magis augeret) quæ ac quanta paſſus erat ſupplicia, meditabatur, iuxta Pſalmi conſilium, dicentis; *Intingatur pes tuus in ſanguine*; pes enim fides eſt, quæ tunc in ſanguine intingitur, cum CHRISTI paſſione per MEDITATIONEM repletur. Voluntate demum, & pio mentis affectu, CRVCIFIXI paſſionem MEDITATVS eſt, DILECTVS DEO, & hominibus CAROLVS, &

Iob dictum explicatur.

tunc in eo illud Iob 39. adimpletum eſt; *Pulli eius* (ideſt deuoti affectus) ex CAROLI voluntate emanantes, *lambunt ſanguinem* per crucifixi meditationem. Hoc igitur precioſo ſignaculo, COR CAROLI munito, ad cęleſtem Hieruſalẽ iter habere cępit, vt CORONA GLORIAE, ſecundum varios VIRTVTVM LAPILLOS, quæ in eius REGIO DIADEMATE ſulgent, decorari mereretur, quare Deo gratias agentes, qui ANTISTITEM hunc glorioſum ad cęleſtia regna tranſtulit, ipſum alloquentes dicere

Concluſio.

poſſumus; POSVISTI IN CAPITE EIVS CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO.

DE THEATRO SPIRITVALI

TERTIVS ORDO.

TRIVMPHVS GLORIAE

S. CAROLI CARD. ET ARCHIEPIS. ANIMÆ iam præſtito; CORPORI verò in nouiſſimo die parato.

A REGIO PSALTE,

Verbis illis Pſal. 109. iam depicto;

EXVLTABVNT

Sancti in gloria.&c.

HIEROGLYPHICIS

SYMBOLIS

adumbratus.

PRÆFATIO.

ANTIQVITVS, omnium bonorum, quæ populi ROMANI ſtrenuis DVCIBVS, in vrbem cum victoria, hoſte iam deuicto, redeuntibus, dari ſolebāt, TRIVMPHVS, primum obtinebat locum; erat.n. adeò ſolemnis illa pompa, vt D. Aug. (referente Rauiſio) inter cætera, de quibus ſe vidiſſe gloriabatur; DVCEM in alma Vrbe Triumphali honore ſuſceptum, ſe iactabat. Qui aũt Triumphabat apud Romanos (vt ſcribit Plutarcus) lætitia perfuſus incredibili, quatuor equis albis vehebatur, curru inaurato, capite lauro coronato, acclamante populo, & ante ipſum Triumphantē, victus hoſtis, oneratus colla catenis, & præeunte Senatu ad Iouis templum aſcendebant, vbi mactato Tauro albo, domum redibant.

Huncce nquam TRIVMPHANDI modum, Regium Pſaltem per tot ſecula à Spiritu S. edoctum, tā delineaſſe in Pſ.149. illis verbis; Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur, &c. ex ijs, quæ mox dicturi ſumus, manifeſtum apparebit. Quod ſanè promiſſum, ijs omnibus, qui dùm in hac carne viuentes, de tribus inimicis carne, videlicet, Mundo, & Diabolo, victoriam retulerunt factum eſſe, non eſt cur dubitemus, adeò q, in DEI gratia morientes, eorum ANIMA, TRIVMPHALI pompa in cœleſtem vrbem ſuſcipitur, corpus verò, & ipſum in die nouiſſimo, Triumphali gloria decorabitur, iuxta Apoſt. doctrinam; Sicut ſocij, paſſionum eſtis, & Reſurrectionis eritis. Lætitia erat inennarabilis, quæ Triumphantis DVCIS cor exhilarabat, ac ob id Regius pictor, primā lineam, linguæ ſuæ calamo, duxit; dicens; Exultabunt Sancti in gloria. Equis albis, curru inaurato, vehebatur is, qui Triumphabat; quare ſecundam lineam appoſuit, dicens; Lætabuntur in cubilibus ſuis. Victoris DVCIS caput lauro coronatum erat, in ſignum victoriæ iam habitæ, q tertia linea deſignatur; Gladij ancipites in manibus eorum. Ante Triumphalem currum, deuictus hoſtis, onuſtus catenis, ducebatur, q in quarta linea adumbratum eſt: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Demum Senatus præibat, & ad Iouis templum aſcendebant omnes quare cæleſtis Pictor, vltimam terminat lineam his verbis Gloria hæc eſt omnibus Sāctis eius. Reliquū eſt, vt hanc TRIVMPHI picturā per ſingulas partes examinemus, quē glorioſo CAROLO omni ex parte conuenire comperiemus.

DE
TRIVMPHO GLORIÆ
Prima conditio.

Quæ ad ROMANORVM TRIVMPHVM, alludit.

EXVLTABVNT S. IN GLORIA.

Argumentum.

De ſumma lætitia, quam B. CAROLI ANIMA *percepit, cum in* COELO TRIVMPHALI *honore ſuſcepta eſt.*

SYMBOLVM.

SOL, punctum verticale Hominis, radijs ſuis feriens.

NOEMA.

PRORSVS SINE VMBRA.

THEMA.

Lucidiores ſunt ſuper SOLEM.
Eccleſ. 23.

DECLARATIO.

CVM præſens vita hæc noſtra, laboribus pluri mis, & varijs circumſepta ſit calamitatibus, cui ſæuiſſimi, ac fortiſſimi hoſtes iugiter inſidiari non ceſſant, qui in rebus bellicis ingenij acumine, & temporis experientia peritiſſimi ſunt, Dæmones videlicet, iuxta Apoſtoli dictum Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum;* Ideò nos, qui CHRISTI milites eſſe profitemur, nec ignoramus, quòd; *Militia eſt vita hominis ſuper terram,* & bellum hoc nunquam ceſſat, ideò; ſicut miles, ſpe victoriæ, aut ſtipendij, aduerſus inimicos militat, alioquin militiæ labores ferre haud poſſet; ſic futuri præmij, hoc eſt cœleſtis beatitudinis, hanc vitam præſentem ærumnis, & calamitatibus plenam, reddit tolerabilem, hominemque ad pugnandum fortem conſtituit aduerſus Diabolum, futuri TRIVMPHI ſpe ductus. Cum igitur contra Dæmonem humani generis hoſtem ſæuiſſimum, ab adoptiuis DEI filijs arma ſint ſuſcipienda (quos ſummo odio proſequitur) hinc eſt, quòd quonam armorum genere fideles vti debeant, inquirendum eſt. VIRTVTES omnes arma lucis, Gloſa vocauit, ſuper illud Apoſtoli Rom. 13. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Nec incongruè quidem, hac metaphora vſus eſt Apoſtolus, nam; ſicuti arma corpus, quando præliandum eſt, protegunt, adeò quòd milites coram ſe habentes hoſtes, armati incedunt ſemper, eodem quippe modo virtutes, animam iuſti protegunt, ne à Diaboli ſagittis vulneretur, & quia ſæuiſſimus hoſtis, omni temporis momento, & vbique inſidias homini tendit, ob id armis virtutum indutus eſſe debet ſemper, iuxta Apoſtoli exhortationem; *Induite vos armaturam DEI, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* Hæc inquàm arma lucida eſſe debent, iuxta Aureliani Imperatoris præceptum, vt refert Flau. Vopis. dicentis; Volumus, vt militum arma terſa ſint; Veſtis noua, veſtem veterem excludat, torquem brachialem, & annulum apponat. Hæc ille. Et ad hoc præſtandum ipſemet

Vita hominis multis periculis ex poſita.

Fid. lis Chriſti miles eſt.

Spes præmij in bello.

Virtutes armas ſũt aduerſus Diabolum

Virtutes animã iuſti protegunt.

Arma militis luc da eſſe debent.

Apoſt.

Apoſtoli verba declarãtur.

Apoſt. Coloſſ. 3. hortabatur his verbis; *Induite vos, ſicut electi* Dei, *Sancti, & dilecti*; ac ſi diceret; Induite vos, ſicut electi Dei per fidem; ſicut Sancti, per ſpem; ſicut dilecti per charitatem, hæc inquam animæ veſtes potiſſimum ſunt. Quemadmodum enim veſtis corpus protegit, operit, ornat, & calefacit; ſic veſtis ſpiritualis virtutis, animam exornat, illamq; a iaculis, & inimici tentationibus protegit, vnde Apoſt. vbi ſupra, ait; *Induite vos armaturam* Dei, & Gloſa interl. per armaturam (vt diximus) virtutes intelligit. Animam inſuper operit virtutum veſtis, vt 1. Petr 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*;

Virtus animam veſtit melius quã veſtis materialis corpus.

Immo multo melius virtutis veſtis animam ornat, quam veſtis materialis corpus, hac enim veſte exutus is, qui ad nuptias conuenerat, acriter reprehenſus eſt, cui dictum eſt Matth. 22. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Animam ipſam denique calefacit virtutis veſtis pretioſa, ita quòd qui illa indutus eſt, inferni frigus non timebit, vt Prouerb. vlt. *Non timebit domui ſuæ*, ideſt conſcientiæ ſuæ, *à frigoribus niuis*; Nec mirum eſt, quòd virtutum veſtis hæc, interiorem hominẽ calefaciat, quia, (vt loco ſupracitato habetur) *Omnes domeſtici eius*, ideſt prædeſtinati ad habitandum cum Deo in cœlo; *veſtiti ſunt duplicibus*, hoc eſt virtutibus infuſis, & acquiſitis.

Arma ad gloriæ triũphum habẽdum, virtutes ſunt.

Virtutes igitur, arma lucis ſunt a Deo præordinata ad Trivmphvm Gloriae conſequendum, ex quo poſtea ſequitur maxima lætitia, quam milites ij obtinent, qui ijs bene vſi ſunt, prout in prima linea, quam Regius pictor, diuino afflatus ſpiritu duxit, quæ eſt; Exvltabvnt Sancti In Gloria.

Primus honor, quo triũphator recipiebatur.

Antequam in alma Vrbe, is qui Triumphabat, reciperetur, Arcum in eius honorem erigebant Romani, in quo illius egregia facinora ſculpta, ſeu depicta conſpiciebantur. Hoc idem dicendum eſt de Arcu, in cęleſti Hieruſalem erecto, dum hominis Beati anima ibi excipitur, qui nobilitate, & maieſtate, omnes illos a Romanis constructos, longè ſuperat, & excedit.

Arcus in honorem animæ glorioſæ conſtructũ.

Arcus ſpiritualis qualitates.

Duas in Arcu conſpicimus extremitates, quæ à parte inferiori, ſurſumq; eleuatæ ſimul coniunguntur, ſic de Arcu ſpirituali, in animæ glorioſæ honorem erecto dicendum eſt, nam; Theologorum

con-

concluſio eſt, quòd Beati, potentia intellectiua, gloriæ lumine mediante, ſubleuatur, vt DEVM in ſua propria eſ- *Beati quomodo DEVM vident.*
ſentia, & exiſtentia apprehendat, & eodem inſtanti a voluntate (quæ eſt altera potentia) vehementiſſimus amor ad ipſum DEVM prouenit (quæ quidem potentiæ veluti duæ extremitates in ſuperiori parte coniunguntur) DEI eſſentiam vident, in qua æterna felicitas noſtra conſiſtit, & hoc modo Arcus in honorem animæ Triumphantis formatus, ſecundum opera ab homine iuſto, dum viuebat, patrata; ſic maiori, minoríve lumine illuſtrior apparet, vt Apoc. . . . habetur; *Dabo vnicuique veſtrum, ſecundum opera ſua.* Nec impropria eſt hęc arcus ſimilitudo, ad veritatem hanc manifeſtandam; etenim eodem nomine arcus Eccleſ 50. vſus eſt, dicens; *Quaſi Arcus gloriæ refulgens inter nebulas.* Formatur enim arcus cęleſtis hoc mo- *Arcus quo formatur in aere.*
do; Dum Sol in nubibus rareſcentibus ex aduerſo refulſerit, radiosq; ſuos, directa linea, humori nubilo transfundens impteſſerit, ſplẽdoris eius repercuſſio fit in nubibus, ex quibus fulgor emicans, arcus ſpeciem format; nec vnquam fit arcus iſte, niſi cum cęlum nubibus coopertum eſt, immò (vt Philoſophus docet) Iris perfectè repreſentatur *Ariſt. 4.*
in nigerrima nube. Ex quibus nobis colligere licet, tunc arcum gloriæ formari, dùm anima (quæ cęlum pretioſum *Applicatio.*
eſt) nube corporis tecta eſt, quòd; quanto plus obſcuritatis habet, quia animæ cęlum, propter tribulationes conturbatum eſt, tunc maius lumen gloriæ in cęlo ei paratur, vt arcum illum reddat illuſtriorem. Verum enimuerò; quoniam huiuſmodi arcus fieri non poſſit, quamuis cœlum nubibus ſit tectum, niſi Sol, radiorum ſuorum ſplendorem in illum influat; ſic; non ſat eſt, animam corpori eſſe coniunctam ad operandum, niſi CHRISTVS Sol iuſtitiæ, gratiæ ſuæ radijs concurrat, ac præueniat, nam ſine *Gratia neceſſaria ad ſalutem.*
eius gratia, *opera noſtra ſunt tanquam pannus menſtruatæ.* Iſa. quare Apoſtolus dicebat, *Gratia DEI ſum id quòd ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia DEI mecum.* Quæ ſanè gloria, quam anima Beata conſequitur, ſiue maior ſit, ſiue minor, adhuc in quolibet Beato, tanta eſt, quòd humanæ mentis facultatem excedit, longeque ſuperat, ad

quam,

quam, etſi propenſionem habeat, tamen naturæ viribus, conſequi haud poteſt.

Beati Caroli gloria animæ.

Beati CAROLI animam propter operum bonorum multitudinem copioſam hac frui gloria, & in eius honorem, arcum in cęlo erectum fuiſſe (& eſt prima linea, per quam eius TRIVMPHVS GLORIAE delineatur) non eſt, cur dubitemus, ſiquidem, a ſui corporis ergaſtulo ſoluta, ad cęlum poſtea euolaſſe certò ſcimus, quare tunc temporis. SYMBOLVM a nobis propoſitum adimpletum eſſe, liquidò conſtat; Quemadmodum enim SOL, qui directè zenit, ſeu punctum verticale hominis attingit, omnem aufert vmbram, ſic anima beata a corpore ſoluta, nullam tribulationis, calamitatisve vmbram experitur amplius, quæ iam prorſus ablata eſt, nam pręſentis ſeculi dies, quibus tot, ac tanta pro CHRISTO, paſſus eſt CAROLVS incommoda, pertranſierunt, adeo quòd illud Pſal. 102. dicere poteſt; *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt*, quare conueniens eſt NOEMA; PRORSVS SINE VMBRA, immo tota lucida eſt Beati CAROLI anima glorioſa; ſicuti erit illius corpus, quod in nouiſſimo die aſſumet, & tunc id, quod in præaſſumpto THEMATE propoſuimus, non ſolum de eo, ſed etiam de alijs ſanctis, adimplebitur, quibus dici poterit; *Lucidiores ſunt ſuper* SOLEM, & tunc exultabunt SANCTI in gloria.

Simile.

Applicatio

SECVN-

SECVNDA CONDITIO.

A ROMANIS TRIVMPHANTIBVS non diſſimilis.

LAETABVNTVR IN CVBILIBVS SVIS.

Argumentum.

De glorioſis corporis dotibus, quibus BEATI CAROLI CORPVS, *in generali Reſurrectione exornabitur.*

SYMBOLVM.

ADAMAS GEMMA Pretioſa, velo nigro coopertus.

NOEMA.

ILLO ABLATO, CLARIOR.

THEMA.

Daboilli CALCVLVM candidum.
Apoc. Cap.6.

DE:

DECLARATIO.

CVM ad illam ſummam requiem, & felicitatem, quæ nobis in cęlo promiſſa eſt, niſi per labores, & tribulationes, peruenire queant homines, nã, *Si compatimur, & conregnabimus*, ait Apoſtolus,

Cęli gloria per labores acquiritur.

nec alio modo, niſi per victoriam de inimicis noſtris habitam, TRIVMPHVM GLORIAE conſequi poſſimus; Æquum eſt, quòd animæ glorioſæ in cœlo triumphanti, ipſius corporis gloria, ſuo tempore adiatur, cum ad illam ſupernam felicitatem anima peruenerit (de adultis potiſſimum loquimur) corpore ipſo mediante, quod ad benè operandum, vna cum ipſa anima iugiter cooperari non deſtitit, quare; poſt vniuerſalem corporum Reſurrectio-

Corpus poſt Reſurr. animæ coniungetur.

nem, ipſum corpus Beati, animæ iam glorioſæ, coniunctum, ad æternæ GLORIAE TRIVMPHVM perducetur, quòd, etſi vſque ad finem mundi corpus, cęleſti gloria priuatur, tamen ab ipſo DEO diligitur, dùm, per miraculo-

Miracula corpus glorioſum illuſtrant.

rum coruſcationem, ab hominibus venerari vult, & præter naturæ ordinem integrum ſeruatur, à quo, vt plurimum ſuauis emanat odor, gaudium fidelibus affert, innumeras gratias, & quamplurima miracula per ipſum fideles conſequuntur; adeò quòd Iſaiæ vaticinium de CHRISTI ſepulchro glorioſo, adimpletum, hoc idem de eius ſeruo dici poteſt; *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*. Nec imme-

Corpus Beati cum anima debet coniungi.

ritò quidem Beati corpus, & ipſum pariter, vna cum anima in cœlis, æterna gloria frui debet, nam ad plenam beatitudinem requiritur, quòd non ſolum anima iuſti, ſed etiam ipſum corpus glorificatum ſit, eiuſq; ſenſus omnes ſint beatificati, quòd innuere voluit Regius Pſal. illis verbis; *Beati, qui habitant in domo tua* DOMINE, *in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Naturaliter enim omnes homines Beatitudinẽ appetunt; quamuis in quo conſiſtat, diuerſos

Beatitudo in quo conſiſtat, variæ opiniones.

diuerſimodè erraſſe certum ſit. Stoici enim circa eius ſubiectum decepti ſunt, volentes ſolam animam, in qua virtus cònſiſtit, eſſe beatitudinis ſubiectum, prout è contra Epicurei in ſolo corpore, & in carnis voluptate, beatitudinẽ conſtituere; at Regius Propheta, diuino afflatus ſpiritu, vt horum manifeſtaret errorem, hominiſq; beatitudinẽ,

non

Google

non in anima ſola, nec in ſolo corpore, ſed in vtroq; ſimul (nam anima, & corpus, quæ ſunt hominis partes eſſentiales, hominem perfectum conſtituunt) ob id dixit, vt ſuperius; *Beati qui habitant*; etenim ſi in anima ſola, vel in ſolo corpore, Beatitudo conſiſteret, dixiſſet; Beata anima, vel beatum corpus, at quia anima, & corpus, totum hominem conſtituunt, ideo dixit; *Beati* (ſubdens) *qui habitant in domo tua* DOMINE, vt eorum confunderet errorem, qui in hoc mundo beatitudinem eſſe volebant, in diuitijs videlicet, in voluptatibus, & honoribus; prout in ſubſequentibus verbis; *In ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Eorum tollit errorem, dicentium, quòd poſt multorum annorum curriculum, animæ ad ſua corpora reuertentur, & iterum mundi miſerijs ſubijcientur, ſicuti etiam Iudæorum, & Saracenorum fallaciam circa beatitudinis occupationẽ, dicentium; Beatos cibis vacare, & potibus, & fœminarum coniunctionibus, dicens; *laudabunt te*; etenim ſolum circa DEI laudem, & gratiarum actiones, Beati iugiter erunt intenti. Iuſti anima igitur, quantum ad intellectiuam potentiam, beatificata eſt, quia in DEI veritate delectatur, adeo quòd ſcientia, quam in hoc mundo habemus, obſcura eſt; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, dicebat Apoſt. 1 Corin. 13. item imperfecta eſt; *Nunc cognoſco ex parte*, quæ a ſenſibus accepta eſt; *Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus*, anima vero iuſti beatificata, ſcientiam claram habet; *Tunc facie ad faciem*, perfectiſſima inſuper erit; *Tunc autem cognoſcam ſicuti & cognitus ſum*, vnde ſubdit; *Quando factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Similiter quantum ad affectiuam potentiam; Iuſti anima, beata eſt, nam in DEI bonitate (qui eſt ipſa eſſentialis bonitas) admodum delectatur; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7 Sic dicit anima glorioſa. Quantum ad appetitiuam pariter, anima beata eſt, cum in DEI ſocietate ſit; non enim ſitire poteſt, cum ſit apud fontem aquæ vitæ, vt Apoc. 7. *Agnus, qui in medio Throni eſt, deducet eos ad vitæ fontes aquarum*; Eſurire non poteſt, vt Pſ. 16. teſtatum reliquit; *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, nec aliquam penuriam patitur, nam vt Eccleſ. 15. *Iucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper eum*, ac demum in gau-

diorum

Beatitudo in corpore, & anima eſſe debet

Dauidis verba explicantur.

Error aliquorum.

Beati iugiter Deum laudabunt.

Scientia huius mundi imperfecta.

Anima iuſti ſcientiã perfectã habet.

Anima glorioſa nihil deficit.

diorum plenitudine anima beata eſt, cui dictum eſt; *Intra in gaudium* DOMINI *tui*. Hæc quoad animæ beatitudinem, de qua ſuperius multa diximus; Quoad corpus verò (iuxta ſecundã lineam à Regio pictore ductã) quę eſt; LAETABVNTVR IN CVBILIBVS SVIS; dicimus Beati corpus currum eſſe, in quo anima glorioſa, in nouiſſimo die triumphabit. Curru enim inaurato, quatuor equis albis vehebatur is, qui apud Romanos triumphabat, quibus corporis glorioſi, quatuor dotes, nobis manifeſtantur. Corpus noſtrum, dum viuimus, quadruplicẽ habet defectum; eſt enim mortale, obſcurũ, ponderoſum, & craſſum, quod cum reſurget, & glorificabitur, quatuor dotibus veſtietur, de quibus Apoſt. 2. Cor 15. *Seminatur in corruptione, & reſurget in incorruptione*. Nam tota paſſibilitas, impaſſibilitate decorabitur; obſcuritas in claritatem mutabitur, vnde ſubdit; *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*. Tota ponderoſitas in agilitatem tranſibit; *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*; Denum tota craſſities in ſubtilitatem commutabitur, *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale!* Præterquam quòd, omnes corporis glorioſi ſenſus glorificabuntur, quare; tum quoad animam, cum quoad corpus, tunc temporis Beatitudinem perfectã conſequetur Beatus, & tunc CHRISTI promiſſum adimplebitur Apoca. 6. *Vincenti dabo manna abſconditum*; Per manna enim, Rupertus Abbas, gloriam intelligit; manna enim, idem ſonat, quòd; Quid eſt hoc? & eſt admirationis verbum, ſeu congratulationis. Beati enim, de tanta DEI liberalitate admirantur, & de eorum perpetua æternitate congratulantur; per cuius ſaporem, DEI cognitio intelligitur, quę animam beatificat, nam vt Exo 16. habetur; *Guſtus eius quaſi ſimilæ cum melle*, ſimila enim de terra oritur, mel verò, cœleſti rore generatur, quare per ſimilam enim, CHRISTI humanitas, per mel verò, eius diuinitas intelligitur, nam perfecta cognitio, in diuinitatis contemplatione conſiſtit, vt Ioan 17 teſtatum reliquit; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te DEVM, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. *Et dabo illi CALCVLVM candidum*, ita ſequitur illud Apoc. (& eſt aſſumptum THEMA à nobis propoſitum) CALCVLVS enim, gemma parua eſt, & corporis

Corpus beati, currus triumphabilis eſt.

Corporis noſtri quadruplex defectus

Quatuor dotes corporis glorioſi

Senſus omnes beati erunt glorificati in cælo.

Manna, quid ſibi vult.

Beatitudo in cognitione conſiſtit.

Calculus quid.

poris glorificationem innuit, nam per eius paruitatẽ, ſubtilitatis dos, per rotunditatem, agilitas, quia lucidus, eius claritas, & per ſoliditatem æternitas intelligitur, quę quidem æternitas, magis in præaſſumptis Thematis verbis, quæ ſequuntur manifeſtatur, cum dicitur; *Et in* CALCVLO *nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit*, eſt enim adeò ſublimis, & excelſa DEI filiatio, *quòd nemo ſcit, niſi qui accipit*, & hoc corpori beato eueniet, cum reſurget creatura.

CALCVLVM candidum, ſeu ADAMANTEM pretioſum fuiſſe CAROLI corpus, propter eius puritatem, & mortificationem; ex iis, quæ ſuperius diximus, liquidò conſtat; quare, ſpiritu ad cœlum euolato, corpus verò, mortis velo tectum; quamuis propter miraculorum multitudinem illud magis in dies clareſcere videamus, tamen: CVM AVFERETVR (intellige mortis velum) vniuerſali corporum Reſurrectione adueniente, tunc CLARESCET, vt NOEMA habet, & plenè Beatus erit, quia omnes conditiones ad plenam beatitudinem requiſitas tum eſſentialem, tum accidentalem habebit, de quibus D. Augu. in lib. de vita bea. ait. Ad plenam beatitudinem requiruntur, completa voluntas, voluntatis ſanctitas, deſideriorum ſatietas, & in his omnibus plena ſecuritas. Nec immerito quidẽ, his fruetur bonis CAROLVS beatus, poſt carnis Reſurrectionẽ in corpore, quæ nunc in anima ſentit, nam, ẽt in hac vita, completã habuit voluntatem, qui in omnibus DEI placitum perficere ſemper ſtuduit, quare de eo, illud Pſalmi dictũ, adimpletũ eſt: *In lege DOMINI voluntas eius*; prout ipſemet DEVS, illius volũtatem faciebat, nam vt in Pſ 144. *Voluntatem timentium ſe faciet*; cui voluntatis ſanctitas non defuit. nam, vt D. Aug. affirmat Beatus eſt, qui habet, quicquid vult, & nihil mali vult; & CAROLVS glorioſus, voluntatem habuit in bonis, & de bonis, de quo vt in Pſ. 115. dici potuit; *In mandatis eius volet nimis*. Deſideriorũ ſatietatem ẽt habuit CAROLVS, quandiu vixit, qui DEVM deſiderabat, & ea, quæ DEI erant; nam, vt D. Auguſt. ait. Nimis eſt auarus, cui non ſufficit DEVS. Quare, etiam in corpore, glorioſus erit, quando vna cum alijs ſanctis, LAETABVNTVR in cubilibus ſuis.

Beati Caroli corpus veluti Adamas pretioſus fuit.

Ad perfectam beatitudinẽ quæ requiruntur.

Beatus Carolus in corpore beatus erit.

Beati Caroli voluntas ſancta.

D. Auguſt.

TERTIA CONDITIO.

Quæ IN ROMANORVM TRIVMPHO non erat prætermiſſa.

EXVLTATIONES DEI IN GVTTV. EOR.

Argumentum.

De gratiarum actione, quas vnà cum cæteris, CAROLVS BEATVS, DEO *referre non ceſſabat.*

SYMBOLVM.

MANVS, quæ VAS aqua plenum, in gutture conſtrictum terramverſus effundit, à quo vix aliquæ guttæ decidunt.

NOEMA.

EX COPIA, INOPS.

THEMA.

Cantabant ei Canticum nouum; Redemiſti nos Domine DEVS in ſanguine tuo.
Apoc. Cap. 5.

DE

DECLARATIO.

CVM in biſce caducis rebus, plenum gaudium, quod omnes animæ potentias repleat non poſſit reperiri, ſed ſolum in Deo, ſolo, qui eſt noſtra beatitudo, id fieri queat; Regius Pſaltes, qui expetimento pluries id didicerat, nobis teſtatum reliquit Pſal. 76. illis verbis; *Renuit conſolari anima mea; memor fui DEI, & delectatus ſum.* Ac ſi dicere voluiſſet: Propter Dei amorem, ſic huiuſce mundi delectationem omnem, abnegauit anima mea, quod in nulla re conſolari poteſt, nec aliquid eſt, quod eam à cœleſti deſiderio remouere poſſit, quare ab omnibus mundi illecebris prorſus alienus, in ſolo Deo, mentis meæ oculos defixos teneo, & hoc modo conſolatus ſum; quæ ſane verba, felix vertit; Memor ero Dei, & vociſerabor (intellige præ lætitia, & gaudio) nam iuſtus; dum in hac carne vitam egit, Devm iugiter præ oculis habens, pro acceptis beneficijs, continuas laudes (ſaltem corde) perſonabat, ac in eo (lætitia perfuſus inenarrabili) omnem ſpem ſuam reponebat, certo ſciens, nunquam deficere poſſe; ita quod ad cœleſtem patriam, vna cum alijs translatus, cum Pſal. 19. canere poteſt: *Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine DEI noſtri magnificabimur,* ſeù, (vt idem felix vertit) in nomine Dei noſtri erigemus vexillum, vel cantabimus; Metaphora à militibus deſumpta, qui poſt victoriam de hoſtibus habitam, exultantes, cum vexillis eleuatis, vrbem ingrediuntur, Deo gratias agentes, & hymnos, magno cum iubilo cantantes, vbi omnia plauſa perſonant, ac lætitia; ſic iuſtus poſt reportatam de vitijs, mundo, & diabolo, victoriam, hoſtibus hiſce deuictis, alacris cœlum ingrediens, ab Angelorum choris comitatus, dùm per illius supernæ Ciuitatis plateas ducitur; niſi exultationis, ac lætitiæ voces perſonant, omneſque præ gaudio, hymnos, & laudes in Dei honorem canunt; *In ſæcula ſæculorum laudabunt te*, dicebat Regius Pſaltes, adeo quod, poſt cor-

Deus ſolus poteſt nos ſatiare.

Dauidis verba declarantur.

Felicis verſio.

Alia expoſitio.

Romanorũ cõſuetudo.

Applicatio ad iuſti lætitiam.

porum Reſurrectionem, lingua ad DEVM laudandum remanebit, vnde D. Aug. ait: *Vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus: Ecce quid erit in fine, ſine fine*, & alibi ipſemet dixit; *Ipſe DEVS erit finis omnium deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.* Verum enimuero quamuis omnia beneficia à DEO homini collata, cuncta gratiarũ actione digna ſint, illud tamen inprimis ſe ſe offert, quo nos, de miſera peccatorum noſtrorum ſeruitute, per crucem & paſsionem ſuã, liberauit. Hoc inquam praecipuum, & maximum amoris ſui erga nos opus fuit, ad quod cœtera cuncta referuntur, ideo inter alia, iugi memoria dignum; quare, mirum non eſt, ſi huiuſce pretioſiſsimi ſanguinis virtute, iuſtorum animæ in cęlis, nunc triumphantes, DEVM laudibus extollere non ceſsant, prout Regij Pictoris linea, tertio loco ducti, habet, dicens: EXVLTATIONES DEI IN GVTTVRE EORVM. Propter hoc Redemptionis opus, Sancti omnes, ſumma cum exultatione, laudes DEO debitas perſoluunt, quare Dauid, in perſona illorum Beatorum ſpirituum, Pſal. 125 ait: *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Quaſi diceret. Bone IESV, omnium bonorum noſtrorum fons perennis, de cuius largiſsima manu, tot tantaque immenſa accepimus beneficia, quaſnam tibi referre poſsumus gratias, explicare nequeo: Tu enim carne hac noſtra aſsumpta (qui beatus eras) illam paſsibilem reddidiſti, vt pro nobis pati poſſes, nosq; de peccatorum vinculis, ſolueres, quare: de perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, & in gloriæ tuæ regnum, nos tranſtuliſti. Maius enim eſt hoc beneficium (inter alia innumera) quæ humano generi contuliſti, quare propter hoc eximium amoris tui ſignum, nulli obliuioni tradendum; *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Ex quo apparet non improprium eſse SYMBOLVM à nobis propoſitum, de VASE, aqua, ſeu aliquo alio liquore plenum, in gutture coarctatum, quod ſi terram verſus illud effundatur; non ſolum non effluit, ſed vix guttatim ſtillat, cuius quidem rei cauſa eſt altercatio illa, quæ inter hanc, & illam aquæ vndam introincluſam, verſatur;

D. Auguſt.

Amoris Chriſti erga nos ſignum efficax eius paſsio fuit

Sancti in cęlo, Chriſto gratias agũt propter Redemptionis opus.

Symboli applicatio. Similitudo de vaſe.

verſatur; etenim, cum vna alteri primum locum concedere nolit, vnaquæq; earum prius egredi nititur, quare nemini aditus conceditur, ne vacuum (quod natura abhorret) ibi detur, adeo quòd certatim, a centro ad circumferentiam, dùm mouentur, per eandem viam reuertantur; quare conueniens eſt NOEMA prædicto SYMBOLO aptatum, quod ad Tantali fabulam alludit, dicentis, Inopem me copia fecit.

Hoc inquam de quolibet Beato, qui nunc æterna gloria fruitur, ac potiſſimum de glorioſo CAROLO, dicendum eſt, qui in ſummæ felicitatis fonte perenni cum reperiatur, dicere poteſt; Plenus ſum, quare; vt aliqua ex parte aliquod bonum eius animæ collatum enarrare admodum cupidus cum ſit, dùm ad id præſtandum conatur, ab alio præpeditus animæ, os ſuum ad debitas laudes perſoluendas, nimis conſtrictum habens, vix aliqua ex parte aliquid, de vno ſolo, promere poteſt. Ab eius animæ intimis præcordijs, laudis vnda mouetur, vt gloriæ coronam, quam recepit, ore decantet, at eodem temporis momento; altera Aureolæ inſurgit, qua, ipſa exornata eſt, inſurgit, & ne prima, quæ eſſentialis gloriæ eſt, egrediatur ei impedimento eſt: Beatitudinis obiectiuæ fluctus alter mouetur, vt ab ore per debitas laudes exeat, ſed à formali retinetur beatitudine. Summum tenet deſiderium CAROLVS enarrare, quòd ipſe DEVM totum videt, ſed quia illum totaliter non intuetur, ideò reſtat, incredibili flagrat deſiderio decantandi inenarrabilem lætitiam, quam ipſe percipit, ob primi obiecti glorioſam viſionem, ſed à ſecundarijs obiectis impeditur, quæ omnia ſummam perfectionem innuunt. Ac demum, tam copioſa eſt merces, quam in anima recepit fidelis DEI ſeruus CAROLVS, quod eius lingua obtumeſcit, ac, vt NOEMA habet, EX COPIA, INOPS factus eſt. Verum ſi ſtila aliqua ab hoc VASE egreditur, ea eſt, quam pro THEMATE propoſuimus.

B. Carolus tãquã vas plenũ fuit.

Applicatio

B. Caroli laudes erga Deum.

REDEMISTI NOS DOMINE DEVS IN SANGVINE TVO, & hoc eſt CANTICVM NOVVM, qđ SANCTI CANTABANT; quia quanto magis paſſionis CHRISTI memoria, cæleſtes illi ſpiritus, & Beatorum animæ, continuis celebrant

Redemptionis opus, cãticum nouum eſt.

laudibus, eò magis delectationem conſequũtur maiorem, quæ ſane paſſionis CHRISTI memoria, ita DEO fuit grata, quòd antequam eius vnigenitus filius noſtram indueret mortalitatem, inter cœleſtis beatitudinis gaudia, de illa voluit quòd fieret memoria, vt Ioan. Apoc. 5 teſtatum reliquit, dicens; *Vidi DEVM ſuper Thronum perlucidum ſedentem, quem circumſteterunt viginti quatuor ſeniores, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & coram Throno iacebat Agnus, tanquam occiſus, ſanguine fluens.* Quod ſanè ſpectaculum, quamuis primo aſpectu, triſte videretur, tamen, ij qui aderant, tanta afficiebantur lætitia, quòd dulcis de omniũ ore, reſonabat muſica; nam ſeniores, & quatuor animalia, arreptis cytharis, decantabant canticum nouum; *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, &* REDEMISTI NOS IN SANGVINE TVO. Hoc idem præſtabant Angeli, qui erant in circuitu Throni. Laudem hanc, CAROLVS Beatus iugiter decantat, vna cum cæteris ſanctis, iuxta Regij Pſaltis vaticinium, dicentis; EXVLTATIONES DEI IN GVTTVRE BORVM.

Ioannis viſio de Deo.

Beatorum laus continua.



QVARTA

QVARTA CONDITIO

ROMANORVM DVCIBVS TRIVMPHANTIBVS, conceſſa.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Argumentum.

De glorioſa victoria, quam fortiſsimus CHRISTI *miles* CAROLVS *de inimicis omnibus reportauit.*

SYMBOLVM.

LAQVEI, ARCVS, SAGITTÆ, SCVTVM & GLADIVS, & hæc omnia confracta, à ſtipite pendentia.

NOEMA.

AD ÆTERNAM MEMORIAM.

THEMA.

Ibi confregit potentias, ARCVM, SCVTVM GLADIVM, & BELLVM. Pſal. 75.

730

DECLARATIO.

Angeli creatio nobilis.

QVONIAM primus Angelus à DEO de nihilo creatus, quamplurimisq; bonis; tùm naturalibus, cum ſupernaturalibus exornatus; cuius voluntas cum inflexibilis ſit, ita quod ſemel apprehendit, immobiliter amplectitur, velle hoc habere voluerit inordinatum; nam poſt eius creationem, non DEVM creatorem (qui primò diligendus erat) ſed ſeipſum, & proprium honorem magis dilexit, adeò quòd ſeipſum (quę creatura erat) DEO creatori pręponere auſus eſt, quare aduerſus DEI regnum ſemetipſum conſtituens Regem, alios ferè innumerabiles, vt ab ipſo DEO deficerent, hortatus eſt; ita quod omnes ij, qui eius voluntati adhæſerunt, è cęlorum ſedibus eiecti fuere, & æternis cruciatibus addicti. Cum igitur Dæmoniorum Princeps, propriam ſuam amaret voluntatem, in qua ſumma viget malitia, vt illa impleatur, omnes induſtriæ ſuæ neruos intendit, quare; vt malum creſcat, & bonum deſtruatur, pro viribus conatur, cumq; eius voluntas propria, radix, fons, & malorum omnium facta ſit origo; atque hinc eſt, quòd ſummum ſtudium adhibet, quòd homo, qui ad DEI imaginem plaſmatus eſt, vt æterna gloria fruatur (quam propria culpa ipſemet perdidit) execrabili proſequatur odio, ita quod nullam viam intentatam relinquit, vt eius perditionem operetur, ac ob id potiſſimum, iuxta D. Baſilij placitum, quia DEI imagine decoratus eſt. Tanto enim odio in DEVM exarſit Diabolus, quòd ſi de eo vindictam ſumere poſſet, præſtaret; at cum impoſſibile id fieri cognoſcat, ſaltem in eius imaginem totis viribus inuehitur, Pardiq; naturam imitatur, qui hominis inimicus cum ſit, tanto odio illum proſequitur, quòd aduerſus hominem ſęuire nequeat, ſi eius imaginem intuetur, illam vnguibus dentibusq; dilaniat. Pardi nomine ab Eccleſ. 28. vocatur Diabolus. *Et quaſi Pardus lædet eos.* Crudelis beſtia hæc, tanto odio aduerſus DEVM exardeſcit, quòd cum illum offendere nequeat, homines, ac potiſſimum, Chriſti fideles, qui verã ipſius

Aliquorum Angelorum nequitia.

Luciferi voluntas ad malum.

Diabolus hominẽ perſequitur quia ad Dei imaginem eſt.

Diabolus Pardo ſimilis.

Diabolus in Sacra Scriptura Pardus nominatur.

ipſius Dei geſtant imaginem,perſequitur,quare eorum mortem, & æternã damnationem iugiter procurare non ceſſat. Quòd,vt facilius id præſtare valeat,alios in ſui auxilium, adhibet ſocios (quamuis ipſe potentiſſimus ſit) quibus mediantibus hominis perditionem procurat; mortem, videlicet, mundum, peccatum, & ipſoſmet ſenſus, qui in homine ſunt. Quare Regis nomen ſibi vendicat Diabolus, vt habetur Iob cap. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei; omne ſublime videt; Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Et Rex magnus eſt, magnus inquam ratione aſtutiæ, nam ſecundum Diuum Gregorium; Diabolus, aut opprimendo rapit, aut violando circumuolat, aut ſuadendo blanditur, aut minando terret, aut deſperando frangit, aut promittendo decipit. Et Diuus Hieronymus ait, Perſequitur me hoſtis, cui nomina mille, cui etiam ſunt mille nocendi artes, & ego infelix victorem me putabo? nec mirum eſt, quòd adeo aſtutus ſit Diabolus; nam, triplici viget acumine (ſic Diuus Iſidorus fatetur) ſubtilitate naturæ, experientia temporum, & reuelatione poteſtatum ſupernarum; magnus Rex inſuper vocatur ratione ſæuitiæ, nam, vt 1. Petr. 5. babetur; *Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens*: Sicuti Leo, ſanguinem ſitit, ita, & Leo Diabolus, animarum ſanguinem lætanter appetit, intantum quod, vt Diuus Gregorius aſſerit; Nihil ſe feciſſe reputat, niſi cum animam ſauciat. Rex magnus dæmon appellatur tandem, propter ſociorum multitudinem penè infinitam; etenim (vt nonnulli ſancti viri opinati ſunt) aer iſte, ita plenus eſt Dæmonibus, ſicut Solis radius minutiſſimis puluiſculis eſt, qui omnes, quamuis voluntate inter ſe maximè diuiſi ſint, & mutuo odio ſe proſequantur, tamen in opere expugnationis hominis, diuinamque obſcurandi gloriam, maxime inter ſe colligati ſunt, nec vnquam diuiduntur, alioquin eorum Regnum non ſtaret; Ex quibus apparet, quantum ſit huiuſce hoſtis in nos odium, qui vt damnum nobis inferat, cum alio ſibi inimiciſſimo conuenit, vt nos ambo ſimul lædere poſſiot. Et id, quod per ſe ipſum Diabolus, qui Rex magnus eſt, peragere non vult, vt plurimum

Diabolus aduerſus hominem auxiliũ quærit.

Diabolus Rex ſuperbiæ.

D. Grego. Diaboli neq̃uitiã manifeſtat.

D. Hieron. Diabolũ timet.

Diaboli triplex acumẽ.

Diabolus propter ſæuitiã Leo nũcupatur.

Aer Dæmonibus plenus eſt.

mum per ſuos miniſtros operatur, & ſicuti Reges, qui venationi ſunt dediti, quamplurimos habent venatores, & miniſtros, qui eos ad venationem exercendam comitantur, tamen quicquid in venatione capitur, ipſi Regi aſcribitur (dicimus enim Rex noſter hodie aprum interfecit) ſic Dæmon, ſuos habet miniſtros, & ſatellites, ipſius Sathanæ aucupes, ad animas capiendas expeditos, de quibus Deus per Ierem. 5. ait: *Inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes in pedicas, ad capiendos viros*: de quibus Regius Pſalt. diuina gratia liberatus, dicebat: *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* & D. Bern. homil. in Pſal. *Qui habitat*, &c. eos quatuor ſuperlatiuis nominibus vocat, quę maximum incutiunt timorem, dicens; *Venatores vtique peſſimi, & nequiſſimi, calidiſſimi, & crudeliſſimi*, quorum Princeps Behemoth eſt, quod interpretatur caput, ſeu Princeps inimicitiæ de quo CHRISTVS loquebatur, cum dixit Io. 12. *Nunc Princeps mundi huius eyctetur foras*, ſub cuius Principis vexillo; peccatum, mundus, mors, & caro, hominis inimici, militant. At potentias confregit ipſemet CHRISTVS, de quibus in THEMATE dicitur; *Ibi confregit* POTENTIAS, per ſubtractionem poteſtatis, & per additionẽ virtutis, vt alibi in noſtro Quadrageſimali, typis excuſſo, diximus, quare; *Qui in ligno vincebat, in ligno quoque victus eſt*, adeo quod, Debilis eſt hoſtis, qui non vincit niſi volentem; vnde Leo rugiens, & ſerpens antiquus vocatur. Hoc igitur hoſte deuicto; ARCVM pariter confregit, ideſt peccatum, per arcum ſignificatum, quod Regis nomen ſibi vſurpat, vt Iob cap. 18. ait. *Calcat ſuperbum, quaſi Rex interitus*; eſt enim veluti arcus peccatum, quod eſt auerſio a ſummo bono, & conuerſio ad creaturam; Rex iſte a CHRISTO pariter ſuperatus eſt, eiuſque regnum funditus euerſum, vt Apoſt. Coloſſ. 2. teſtatum reliquit illis verbis, dicens: *Delens, quod aduerſus nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipſe tulit de medio, affigens illud Cruci.* Chyrographum hoc, quod nobis contrarium erat, iuxta Catharini interpretationem, illud eſt, quod Adam primus parens manu ſua ſcripſit, in quo nos omnes eius filij virtualiter eramus deſcripti, qui in lumbis

Simile.

Applicatio.

D. Ber. Dæmones quatuor ſuperlatiuis nominat.

Behemoth quid.

Christus Diaboli potentias confregit.

Arcus peccatum innuit.

Christus peccatũ ſuperauit. Coloſſen. 2.

Chyrographi nomine, quid intelligendum.

bis

bis ſuis continebatur, quando ipſe ad lignum vetitum, manum ſuam extendit; quare in pœnam delicti, ab eo patrati, iuſtitiæ originalis dono priuatus, mortiq; obnoxius factus eſt, prout & nos eadem pœna mulctati ſumus. Hoc igitur chyrographum, quod nobis admodum aduerſabatur, CHRISTVS ſanguine ſuo deleuit, ipſumq; tulit de medio, ideſt de rerum natura, vt D. Tho. fatetur, nam; ſicuti in debiti memoria, chyrographum antiquitus conſcribebatur, in quo debitoris nomen erat, quare debito ſoluto, chyrographum rumpebatur; ſic per CHRISTI paſſionem, ſoluto debito, ab Adam contracto, de rigore iuſtitiæ, eodem tempore, ſacramentorum medicinas ſalutares, quibus animæ per peccatum ſauciatæ, vulnera curantur, ipſemet confecit. Et tunc chyrographum illud affixit Cruci, in victoriæ ſignum, ita quod, is qui a ſerpentis infernalis morſu, per peccatum, vulneratus erat, ſtatim atq; mentis oculos per cordis compunctionem in eo figebat, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate, & prauæ voluntatis arcus, qui per acceſſionem à DEO, ad creaturam conuerſus erat; ad ipſum DEVM, per pœnitentiam, conuertitur, quare; non ſolum Diaboli potentias confregit, & ARCVM, CHRISTVS, ſed etiã SCVTVM, per quod amor mundi ſignificatur, quem Diabolus ad decipiendũ hominem in ſocium habere voluit; Nec impropria videbitur ſimilitudo hæc, ſi ad memoriã reuocemus, id, quod antiquitus obſeruatum erat, cum miles ad bellum proficiſci debebat, cui SCVTVM album dabatur (vt Plin. lib. 2. c. 109. refert) ad hoc, vt is, qui eo vti debebat, ſtrenue dimicando, peracto bello, ea, quæ præclare egiſſet, eiusq; egregia facinora, in eo inciſa, apparerent. Vnuſquiſque noſtrum, cum huius lucis vſura frui incipit, ad bellum proficiſcitur, nam, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, & maximè eo tempore, cum bonum à malo internoſcere incipit; tunc enim SCVTVM, a CHRISTO Duce, in ſacramento baptiſmi ei collatum, vt cum Diabolo viriliter dimicet, fidem operibus comprobat, quibus mediantibus, iugiter cum Diabolo pugnat, nam vt Apoſt. ait: *Colluctatio noſtra eſt, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum.* Cum itaque Diabolus, qui mundi huius Princeps eſt, mendacij

Chriſtus Chyrographum peccati deleuit.

Chriſtus quõ Chyrographũ peccati affixit Cruci.

Scutũ quid ſignificet.

Plin.

Fidelis vnuſquiſque miles eſt.

pater ſit, vt in SCVTO, nobis à CHRISTO collato, non virtutes, ſed vitia incidantur, omnes vires adhibet, *Exemplum* quare non ſecus quam is, qui Pharmacopolæ domum intraret, & vaſorum omnium nomina mutaret, vniuerſa confunderet medicamina, nec ea in ordinem redigere poſſet, niſi ipſemet artifex, qui omnia probe nouit; Ita *Applicatio* Dæmon præſtitit, qui vera rerum omnium nomina, quæ in mundo hoc continentur immutauit, nam; orationem, triſtitiam vocat; Religioſorum clauſtra, carceres; vanitates, honorem; vindictam, animi fortitudinem; humilitatem, deiectionem, & id genus alia, atque hinc eſt, quod in mundo hoc, tot ſunt deceptiones, cuius ſectatores in eorum SCVTO, pro virtute; vitium geſtant, adeo quod opus fuit, vt uerus artifex, qui ipſa ueritas eſt, in *Chriſti aduentus neceſſarius in mundo.* hunc mundum ueniret, rebusque ipſis uera imponeret nomina, & hominem fidelem, ab hoc mundo futile deceptum, certiorem redderet, & uitia, quæ pro uirtute in SCVTO quod eis in baptiſmate fuit collatum, depicta tenebant, per pœnitentiam delerent, in eoque ueras uirtutes inciderent, quibus mediantibus TRIVMPHO GLORIAE digni ſunt fideles. SCVTVM hoc, iam a Diabolo, peccato mediante, depictum, confregit CHRISTVS, *Chriſtus ſcutum con fregit.* qui Apoſtolos alloquens, dixit Ioan. 16. *Confidite; Ego vici mundum.* Prout GLADIVM ipſum confregit. Per GLADIVM enim, mors intelligenda eſt, ut Iſa 1. *Gladius meus deuorabit vos; Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit* (canit Eccleſia) *& vitam reſurgendo reparauit*, quam ipſemet CHRISTVS in ſomnum conuertit, prout latius in noſtro Quadrageſimali diximus. Ac demum BELLVM confregit CHRISTVS, per quod carnis *Bellū quid ſignificet.* concupiſcentia intelligitur, qua mediante ſpiritus iugiter affligebatur, dum remedia efficaciſſima, ad inimicum *Chriſtus bellum con fregit* hunc compeſcendum inſtituit; vnde Apoſtolus, qui experientia id didicerat, clamabat! *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, &c.* Hiſce omnibus deuictis hoſtibus in Crucis ligno, ut in SYMBOLO diximus, ueluti trophea erigere potuit CHRISTVS, quæ (ut NORMA habet) AD ÆTERNAM MEMORIAM à Cruce pendent.

Quandiu

Quandiù fortiſſimus CHRISTI miles CAROLVS in hac militia ſe exercuit, diuina gratia munitus omnes inimicos, quos nuper recenſuimus immo, & proprios ſenſus, qui per NOBILES intelliguntur ſuperaſſe, ex ijs, quæ alias diximus, liquidò conſtat, qui millies Dæmonem deuicit, neca peccati mortalis labe inficiebatur; mundi illecebras fugiebat; corporis mortem nunquam timuit, qui pro DEI honore, ſanguinem fundere exoptauit; ac demum, ieiunijs, & cilicio, ſic carnem ſuam domabat, quòd ſpiritui aduerſari non poterat, quare bello peracto, cum de omnibus ſuis inimicis victoriam reportaſſet; dignus fuit, quòd TRIVMPHO GLORIAE veneraretur, hoſtesq; ſuos, ante ipſius Triumphi currum haberet. AD ALLIGANDOS REGES EIVS IN COMPEDIBVS, ET NOBILES EIVS IN MANICIS FERREIS.

B. Carolus millies Diaboli eiusq; tentationes

QVINTA

QVINTA CONDITIO

Ad ROMANORVM DVCES TRIVMPHANTES, debita.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum.

Argumentum.

De approbationis iudicio in nouiſſimo die, à Sancto CAROLO, *vnà cum cæteris* SANCTIS *fiendo.*

SYMBOLVM.

REGIVM SCEPTRVM, AVREA CORONA exornatum.

NOEMA.

VIRTVTE, ET TOLERANTIA.

THEMA.

Stabunt IVSTI in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

Sap. 5.

DE-

DECLARATIO.

CVM homo, à ſupremo rerum omnium conditore, cum arbitrij, libertate, ac talis naturæ creatus ſit, quòd ſuæ propriæ voluntatis Dominus ſit, nec ab vllo cogi poſsit, quàm de alijs creaturis ſibi inferioribus, quę ex neceſsitate operantur, dici haud poteſt; hinc eſt, quòd, opera ab eo patrata, ſi bona ſint, digna retributio, ſi verò mala; debita pœna eis debetur, quamuis, & hæc citra, & illa vltra condignum futura ſit, quare neceſſariò ſequitur, quòd omnia opera, ſiue bona, ſiue mala, in veritate diſcutiantur; & veraciter ſecundum veram iuſtitiam, vnuſquiſque, quod ei de iure debetur, recipiat; quare neceſſe eſt, quod iudicium, & diſcuſsio de omnibus operibus, ſiue bonis, ſiue malis fiat (quod vniuerſale nuncupatur, in quo; ne dum anima, verum etiam corpus ipſum, quod ad merendum, vel ad demærendum ipſi animæ in ſocium datum erat, & ipſum iudicetur, cum anima ſolum; quando homo moritur, adiudicata ſit) & hoc erit vltimum DEI opus circa humanam naturam, & per conſequens, totius mundi, qui propter ipſum hominem factus eſt, D Auguſtino teſte, ac dicente; Omnia propter hominem (ſic Deum alloquebatur) homo autem propter te ipſum, ita quòd DEI opus nuncupatur homo, vt Pſal. 137. dicebat; *Opera manuum tuarum, ne deſpicias*, nam propter opera ab eo facta iudicabitur; *& qui bona egerunt* (ait D. Athan in Symb.) *ibunt in vitam æternã, qui verò mala, in ignem æternum*, & ſic bonis operibus honor, laus, & gloria; malis vero, confuſio, verecundia, & pęna, à CHRISTO æquiſsimo iudice, dabitur.

Homo liber a Deo creatus.

Hominis opera rectè iudicabuntur.

Iudicium vniuerſale cur ſit.

D. Auguſt.

Homo Dei opus dicitur.

Bonis præmium, malis pęna dabitur.

Nec tamen ambigendum, quin cuilibet homini poſt mortem de ſua ſalute, vel damnatione, perfecta cognitio certa non ſit, tamen; quia hoc non erit omnibus notum, ob id vniuerſale fiet iudicium, in quo non ſolum homines, ſed & Angeli, immo etiam omnes rebelles ſpiritus, coram CHRISTO iudice aderunt, ita quod; vnuſquiſque omnia opera ſua, in ſeipſo ſcripta, veluti in lucidiſsimo ſpeculo, habebit, & cuiuslibet cordis intima clariſsime ab omnibus cognoſcentur,

Homines, & Angeli etiam in iudicio vniuerſali apparebunt.

Opera omnium erunt probè cognita.

quæ

quæ ſi mala fuerint, ad eorum maiorem confuſionem manifeſtabuntur, ſi bona; laudem, gloriam, & honorem conſequentur, quare vniuerſis, & ſingulis, ipſa veritas patebit. Verum enimuerò, ſilentio prætereuntes infinitam pœnã, quam damnati patientur in inferno, quæ æterna erit, de incredibili gaudio iuſtis, & electis præparato, ſermonem habentes, dicimus; quòd ad plenum, & perfectum gaudium animæ beatæ, ſuum proprium corpus erit reſtitutũ,

Corpus iuſti in reſurrectione erit glorioſum.

quare, & ipſum erit glorioſum, maxima pulchritudine, & ſummo decore exornatum, nam impaſſibile, & immortale, ſpirituale, ſubtile, agile, & clarum erit, ita quòd; *Fulgebunt iuſti, ſicut Sol in conſpectu* DEI, & vt Sap. 3. habetur: *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent; iudicabunt nationes, & dominabuntur populis,* & vt Regius Pictor vltimam ducit lineam; VT FACIANT IN EIS IVDICIVM CONSCRIPTVM, nam iuſti in iudicio, ſedebunt omnes, vt cum CHRISTO iudicent.

Corporis glorioſi quatuor dotes

Duo ordines in iudicio.

Duo erunt in iudicio ordines ſaluandorum; Alij, inquàm iudicabunt, & non iudicabuntur, vt Apoſtoli (ſaltem iudicio diſcuſſionis) & eorum imitatores, vnde D. Hiero. ait; Omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt pro CHRISTO, iudicabunt cum eo, iuxta ipſiuſmet æterni iudicis ſententiam Matth. 19. qui Apoſtolos alloquens, dixit; *Vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Iſrael:* Alij iudicabunt, & iudicabuntur, ſicut ij, qui temporalibus rebus ſuis bene vſi fuere, quibus dicetur; *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; Sitiui,* &c. Matth. 25. nam omnes DEI electi, cum CHRISTO, iuſtorum, & eorum omnium, qui in æterna felicitate ſunt locandi, caput eſt, & ipſi omnes iudicio approbationis iudicabunt, & eos potiſſimum, quos dùm viuerent, ſuperauerunt, quod ſanè priuilegium Romani, Ducibus Triumphantibus, concedere ſolebant. Quamuis aliud futurum ſit ipſius ſupremi iudicis iudicium, & aliud, hominis iuſti in nouiſſimo die, nam, multiplex erit iudicium, quod ab æquiſſimo iudice CHRISTO fiet. Erit enim iudicium authoritatis illius iudicium, de quo Iſa. 3. *Stat ad iudicandum* DOMINVS. Inſuper erit, & examinationis eius iudicium,

Iuſti iudicio approbationis iudicabunt.

Chriſtus multipliciter iudicabit.

dicium, & de hoc Dan.7.habetur; *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*. Amplius, iudicium ſuum officij, erit, de quo Ioan.5. *Omne iudicium dedit filio*. Probationis alterum, & de hoc 1.Petri 4 legitur, *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo* DEI. eſt & retributionis iudicium, vt Ioan.9. legitur; *Ego in iudicium veni in mundum*. Adiudicationis aliud demum, vt Pſal.9. *Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam*. Hominis iudicium, & ipſum multiplex eſt: Diſcretionis alterum, vt 1.Cor.11. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur*; alterum verò Confeſſionis, de quo Pſal. *Iudica me DEVS, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*. Comparationis aliud, de quo Mat.c.12. *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum gente iſta, & condemnabit eam*, & approbationis denique, vt diximus; etenim in die illa tremenda, quando Sol iuſtitiæ CHRISTVS apparebit, vt in ira ſua iudicet terram, & cum eo omnes Angeli, & Sancti, non vt reprobos à iudicis ira, eorum interceſſionibus liberent, quin potius ipſi Sancti cũ CHRISTO iudice ſtabunt, vt de hoſtibus vindictam ſumant, & ſicuti; *DOMINVS irridebit eos*, vt Pſal.2. habetur, & *tunc loquetur ad eos in ira ſua*, ſic & Beati omnes cum DOMINO irridebunt eos, & dicent; *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam; ſurgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate, vos protegant*: Vbi nam ſunt idola veſtra, quæ coluiſtis, à vero DEO recedentes? (ita eos alloquentur) vbi mundus ſuis promiſſis? vbi nam caro ſuis illecebris? vbi delitiæ, quibus affluebatis? quid vobis ſuperbia profuit? quid diuitiarum iactantia? Diaboli promiſſa, quem vos toto vitæ veſtræ curriculo ſequuti eſtis, vbi ſunt? veniant nũc, ſurgant, & vobis opitulentur, & in hac ſumma miſeria, in qua nunc conſtituti eſtis, ſi poſſunt, vobis opem ferant. Neque ſolum reprobos irridebunt Sancti DEI omnes, ſed armati ad pugnam, & vindictam cum CHRISTO aduerſus eos ſtabunt, qui victoriam eorum inuictiſſimo DVCI acclamantes, non amplius miſericordiæ viſceribus, ſed armis iuſtitiæ erunt induti, vt à dextris, & à ſiniſtris inſanabili plaga, impios hoſtes ſuos feriant, quare electi omnes, qui pro CHRISTO multa paſſi ſunt, tunc aduerſus perſecutores ſuos, cum ira magna, procedent ad

Hominis iudiciũ multiplex erit.

Sancti in iudicio nõ intercedent pro nobis, ſed iudicabunt.

Sanctorum reprehenſiones aduerſus peccatores.

Sancti erũt armati contra peccatores.

prælium,

740

prælium, vt in æternum deſtruant inimicos, & vlcîſcantur. VT FACIANT IN EIS IVDICIVM CONSCRIPTVM, quo ſanè tempore, præaſſumpti THEMATIS verba, adimplebuntur, videlicet;

STABVNT IVSTI IN MAGNA CONSTANTIA; *Stabunt* inquam; non amplius miſericordes, & orantes pro eis, ſed cum æquiſſimo iudice ſtabunt ad iudicium, quod aduerſus eos cito pronunciandum erit; & qui antea iacebant ad iniquorum pedes proſtrati, abiecti imbecilles, & infirmi, tunc; STABVNT IN MAGNA CONSTANTIA, ADVERSVS EOS, QVI SE ANGVSTIAVERVNT, nec impropriè quidem ſic loquitur Sapiens; Nam cum Tyranni, & mali, bonos, & DEI electos cruciauere tormentis, aut perſecutionibus, dum viuerent, homines iuſtos nõ anguſtiabant, ſed ſeipſos potius affligebant, & miſerè cruciabant, torquebantq; ſiue Nerones illi fuerint, ſiue Domitiani, ſiue quicumque alij tiranni impij, & martyrum tortores, nam ſeipſos affligebant, & anguſtiabant, cum Sanctos perſequerentur, qui in tribulationibus, dilatabantur potius, ridebant, atque gaudebant, & cum Apoſtolo dicebant 2. Cor. 4. *In omnibus perſecutionem patimur, ſed non anguſtiamur*. Immò; *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu, contumeliam pati*: quare, non eis inferebant labores, ſed auferebant; *Amodò iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*. Dum affligebantur, ac demum occidebantur DEI electi, a laboribus huius vitæ requieſcebant, vt iam nullus ſit eorum labor, aut dolor, qui prius abierunt, quare fine laboruto ſuorum in morte adepto in pace, ac requie, immò, & in gloria ſunt, & cum CHRISTO apparebunt, vt vindictam ſumant de hoſtibus ſuis, quod per SCEPTRVM, AVREA CORONA decoratum apparet, vt in SYMBOLO, innuitur. SCEPTRVM enim iudicandi poteſtatem indicat, quam Sancti omnes, approbationis iudicio (vt diximus) habebunt, & hanc VIRTVTE, & TOLERANTIA, (vt NOEMA habet) adepti ſunt. Qui inſuper vicerunt Regna, vt Eccleſia canit: *SANCTI per fidem vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam adepti ſunt repromiſſiones*, ac ob id Regio Diademate erunt inſigniti omnes electi, vnde D. Ber.

Sapientia verba explicantur.

Sceptrum, poteſtatem innuit.

ait;

ait: O quàm glorioſum eſt Regnum illud, in quo Reges terræ congregati ſunt, & conuenerunt ad laudandum, & glorificandum eum, qui eſt Rex Regum, & DOMINVS Dominantium. *D. Bernar.*

Hæc omnia, quæ de Sanctis omnibus, & DEI electis, diximus, & de Glorioſo CAROLO, ſtrenuo CHRISTI milite, dicere poſſe, non eſt cur dubitemus; qui dùm viueret, millies, Diaboli ſuperauit tentationes, de peccato victoriam reportauit, mundum ſibi iugiter aduerſantem vicit, & de ipſa morte triumphauit, vt alibi diximus, ita φ; *Ante faciem eius ibit mors*, qui nunc tali vita viuit, quòd; *non guſtabit mortem in æternum*, & non ſolum aduerſus eā, ſed in omnibus inimicis ſuis; FACIET IVDICIVM CONSCRIPTVM, vna cum cęteris DEI electis; nam GLORIA HAEC EST OMNIBVS SANCTIS EIVS qui TRIVMPHO GLORIAE, non ſolum in Anima, verum etiam in corpore (tunc glorioſo) erunt digni, vt cum CHRISTO eorum DVCE, viuant, & regnent in ſæculorum ſæcula. Amen.

B. Carolus de ſpiritualibus inimicis triũphator ſtrenuus

742

DE THAVRO ALBO.

A ROMANIS in fine TRIVMPHI maćtato.

Quòd appoſitè,

AD GLORIOSVM CORPVS, & ſpiritum

BEATI CAROLI

conuenire, demonſtratur.

THEMA.

Sacrificium DEO, SPIRITVS contribulatus; COR contritum, & humiliatum DEVS non deſpicies.
Pſal. 50.

ENAR-

ENARRATIO.

AD IOVIS Templum, præeunte SENATV, (quem ſequebatur DVX, in TRIVMPHALI CVRRV ſedens) cum aſcendiſſent ROMANI, pro grattiarum actione, TAVRVM ALBVM, DIIS ſuis mactare ſolebant, quo peracto; vnuſquiſque domum ſuam redibat. TAVRVS, integra corporis conſtitutione prædıtus (prout in ſacris Ægyptiorum notis, ſculpta imago cernitur) FORTITVDINIS, & TEMPERANTIÆ præclarum fuit SYMBOLVM; quemadmodum illa TAVRI ALBEDO, PVRITATEM, & animi candorem, ab illis virtutibus emanantem, innuere voluiſſe, credendum eſt. Hac enim de cauſa, is, qui triumphabat, almam Vrbem ingredi haud poterat, niſi prius coronam ex LAVRO contextam in capite haberet, exiſtimantes DVCEM TRIVMPHANTEM, illarum frondium virtute, ab omni cædis macula, & ſordibus abſtergi.

Romanorũ conſuetudo poſt Triumphum.

Taurus fortitudinis, & temperãtiæ Symbolum.

Triumphator coronabatur, & cur.

Quam appoſitè, poſt huiuſce TRIVMPHI GLORIÆ deſcriptionem, quem in honorem Sancti CAROLI, intellectus noſtri rudi penicillo, delineauimus; TAVRI SYMBOLVM, eius glorioſo CORPORI, quamdiù vixit, prout illa ALBEDO, eius SPIRITVI conueniat; ex ijs, quæ in eius REGIO DIADEMATE, virtutum lapillis pretioſis exornato, refulgent, perſpicuum apparet. Animi fortitudinem aduerſus Sathanam, mũdum, & carnem, ipſiuſque Sathanæ ſectatores, huius ſeculi filios, ſtrenuus CHRISTI miles CAROLVS, ſemper manifeſtam reddidit, prout cum animi fortitudine, TEMPERANTIÆ virtutem iugiter habuit coniunctam, nam ieiunijs, crebriſque vigilijs, corpus caſtigabat, quare ſobrietatem quandam admirabilem præ ſe tulit, qui in nobiliſſima domo educatus, delicatiſq; cibis aſſuetus, ſic ab eis abſtinuit, ut tres ad annos, antequam ex hac uita migraret, pane, & aqua ſæpè ac ſæpius contentus fuit. Ac demum, tanta animi puritate SPIRITVM, & COR CONTRITVM, & HVMILIATVM, DEO, ueluti TAVRVM ALBVM in ſacrificium offerebat, quòd ipſa florente ætate, in maxima rerum copia, blandientibus, & adulãtibus quamplurimis,

Applicatio.

B. Carolus fortiſſimus ſemper fuit aduerſus Diabolum.

B Carolus temperãtia virtute ſemper exornatus fuit.

B. Caroli puritas magna.

cum

744

cum maximè tranſgredi poſſet, non eſt tranſgreſſus, qui toto uitæ ſuæ curriculo, in nullam, uel minimam incontinentiæ ſuſpicionem incidit unquam, quia maxime omnium, peccandi occaſiones fugit; quare omni uirtutum genere in anima exornatus CAROLVS, CORPORIS, & SPIRITVS ſui TAVRO, dum uixit, DEO immolato; Æquum eſt, ut in nouiſſimo die, cum omnis creatura reſurget, ipſe quoque proprio corpore (quod nunc tanta populi frequentia, ac deuotione colitur) reaſſumpto (quod glorioſum erit) ad cœleſtem Hieruſalem, ut TRIVMPHO GLORIAE, etiam in corpore fruatur, cum cæteris DEI electis, greſſus dirigat.

B. Carolus taurum cordis & corporis Deo immolauit

Ad te igitur CAROLE GLORIOSE, quem non ſolum in hiſce meis elucubrationibus, ſed & longæ huius nauigationis meæ directorem, & ueluti Nauclerum delegi, ut me tuis interceſſionibus, ad portum ſalutis deducas, te exoro, ac deprecor; ita quòd, delictorum meorum uenia obtenta, corporis mei TAVRVS indomitus, gulæ, impuriſq; deditus uoluptatibus, te exorante, legis CHRISTI iugo ſuaui ſe ſubijciat; Tunc enim ieiunijs, carnem nunc petulantem, domabit; uitæ auſteritatem hilariter ſuſtinebit; genua DEVM ſolum adorabunt; lingua illum confitebitur; oculi in lachrymas reſoluentur; pectus ſingultus effundet, manuſq; in corpus totum inſurgent, ut de præteritis delictis, ab eo uindictam expoſcant, ita quod in uera pœnitentia, uſque ad extremam uitæ lineam perſeuerans, gratum ipſi DEO præſtabit obſequium, & poſt mortem, in cœleſti regno, diuinæ eſſentiæ uiſione, quam tu nunc contemplaris, & anima mea frui mereatur in ſæculorum ſæcula. Amen.

Authoris ad B. Carolũ ut protectorẽ exoratio.

Laus DEO, DEIPARAEq; Virgini, ac Sanctorum omnium cætui.